

Evangel.

Polem. Luth. 577.



RESPONSIONIS

ALEXANDRI ALESSI D.

Ad declarationem Artium

Philosophiae et Mathematicae

in summa.

Particula Secunda.



LIPSIAE

IOHANNES RHAMAEVS

EXCVDEBAT.

M. D. LIX.

*Faint handwritten text at the bottom of the page, likely a library or collection stamp.*

RESPONSIONIS  
ALEXANDRI ALESII D.  
ad declarationem articu-  
lorum Louanien-  
sium,

Particula Secunda.

**P**AULVS diligenter commonefacit Timo-  
theum, ut obtestetur credentes Euangelio, per  
dominum Iesum μή λογομαχῆν, & addit causam  
quod contentio de uerbis nullam habeat utilitatem,  
& subuertat corda audientium.

Ac uidetur quidem prima facie, disputatio de  
numero sacramentorum magis esse λογομαχία,  
quam dissentio de rebus. Sed cum Paulus eodem  
loco præcipiat Timotheo, ut studeat seipsum δόκι-  
μον exhibere, & operarium irreprehensibilem,  
ορθομώτα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, necesse  
est illa discernere, quæ confusa & permixta in do-  
ctrina Ecclesiastica pariunt errores.

Est autem perniciosus error confundere cere-  
monias institutas à Christo ad hunc finem præcipuè,  
ut sint certa testimonia remiss. peccat. cum illis quæ  
habent alios fines, scilicet, ut significant conferri  
alia dona spiritus sancti eis, qui has ceremonias  
accipiunt.

Hæc dona cum iam rariora sint, & propemo-  
dum desierunt, post confirmationem doctrinæ Eu-  
angelij,

angelij, propter quam præcipuè conferebantur cre-  
dentibus, in primitiua Ecclesia, iuxta promissio-  
nem Christi, Signa autem eos qui crediderint, hæc  
sequentur, In nomine meo dæmonia eijcient, linguis  
loquentur nouis, serpentes tollent, super ægros ma-  
nus imponent, & benè habebunt &c. Et signa  
data sint non fidelibus, sed infidelibus, ut inquit  
Paulus, constat cæremonias per quas hæc dona con-  
ferebantur, non usq; adeò necessarias, aut urgendas  
esse hoc tempore quo dona non cernuntur.

Deinde accesserunt pharisaicæ opiniones, de  
efficacia operis operati, cum tamen hæc dona, ex  
singulari quodam motu fidei conferrentur, & cære-  
monia nunc ad manifestum abusum sunt translatae.

Vt exempli gratia, Apostoli de fide ante roga-  
tis & confitentibus Euangelium, per impositionem  
manuum, contulerunt donorum linguarum ad do-  
cendos alios, & constantiam ad professionem do-  
ctrinae, Nunc uerò iniunguntur infantes cum oleo,  
qui neq; suam fidem possunt confiteri, tantum abest  
ut possint docere alios, & uocatur hæc cæremonia  
sacramentum confirmationis.

Olim peruncti oleo à senioribus, comprecante  
multitudine sanabantur: Nunc tantum unguuntur ij  
qui expirant animam, ne crucientur in purgatorio  
pro peccatis uenialibus, Ideo nihil mirum est, quod  
Deus per has cæremonias non sit efficax ad confir-  
mandam impiam doctrinam. Sed nunc ad declara-  
tionem aliorum articulorum, properamus.

Decla-

DECLARATIONIS  
TERTII ARTICVLI THEO-  
LOGORVM LOVANIEN-  
SIVM, in quo dicitur,

**P**oenitentiae sacramentum, omnibus post Ba-  
ptismum relapsis, esse necessarium, & com-  
plecti tres partes, Contritionem, Confessionem, &  
Satisfactionem.

L I M A.

**V**T omnes docti & pij intelligant, me cupidis-  
simum esse uerae concordiae, donabo omnia,  
quae Ruardus postulat, & quae permitti sine contu-  
melia Christi, & iniuria Ecclesiae, & deprauatione  
doctrinae Euangelij, possunt.

In usitata doctrina scholastica & Ecclesiastica,  
poenitentiam accipi pro odio & detestatione pecca-  
ti, cum proposito bonae uitae, & quaerendi remedia  
quae Deus instituit, si de poenitentia, quam schola-  
stici uirtutem, Prophetae, Christus, & Apostoli,  
auerstonem a peccato, & improbationem propriae  
inobedientiae, & iniusticiae uocant, intelligatur, ad-  
mitto. Nec displicet mihi definitio poenitentiae hoc  
modo acceptae, tradita a Tertuliano, in libello de  
poenitentia, statim in principio, Poenitentia est pas-  
sio animae de offensa sententiae prioris.

Recipio etiam definitionem Ambrosij, in ser-  
mone de quadragesima. Poenitentia est praeterita

mala plangere, & plangenda iterum non committere, Et illam quam tradit Augustinus in libro de unica poenitentia, Poenitentia est uindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse. Gregorij definitio eadem est, cum definitione Ambrosij. Poenitentia est, antea facta peccata deflere, & flenda non committere. Nam hae definitiones conueniunt cum dicto Esaie, Quiescite male facere, & discite bene agere. Et cum doctrina Baptistae, Facite dignos fructus poenitentiae. Item, cum querela Pauli, qua demonstrat pijs opus esse perpetua poenitentia. Non quod uolo bonum, hoc ago, sed quod odi malum. Miser ego homo, quis me liberabit de hac massa mortis? Item, non regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis cupiditatibus suis. Item, mortificate membra uestra super terram. Item, qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs, & concupiscentijs suis.

De hac poenitentia perpetua, piorum omnium, quae recte dicitur a Poeta uirtus, in uersiculo. Virtus est uitium fugere, & sapientia prima, stulticia caruisse, plerumque concionantur Prophetae, Christus, & Apostoli, ut copiosius, circa finem responsionis, ad declarationem articuli dicetur.

Illud etiam amplector quod Ruardus ait, poenitentiam hanc suscipiendam esse, non tantum propter timorem poenae, sed propter offensam Dei, Imo dico pleno ore, iuxta Paulum, quod praedicatio poenitentiae incipiat a ira Dei, reuelata contra peccatum

catum



catum sic enim ipse initio tonat, & fulminat, reue-  
latur ira Dei de cœlo aduersus impietatem, & in-  
iusticiam omnium hominum, qui ueritatem Dei in  
iniusticia detinent, Et ex hac reuelatione iræ Dei,  
de cœlo, id est, in agnitione iusticiæ Dei ex creatio-  
ne, & gubernatione mundi, exposita & illustrata  
in Ecclesia, per filium Dei, suos Prophetas, & Apo-  
stolos, & iustissima sua ira contra peccatum, tanta,  
& tam immensa, quod nulla alia uictima placari  
potuerit, quam morte sui unigeniti filij, concipi ue-  
ram pœnitentiam, nec sine frequenti meditatione  
huius prædicationis, & metu iræ Dei, ac sensu illi-  
us, in huius uitæ miserijs, et calamitatibus posse re-  
tineri, ueram, & perpetuam pœnitentiam. Sic enim  
de origine ueræ pœnitentiæ docet Paulus, cum ait,  
Lex iram operatur, Peccatum non cognoui nisi per  
legem, lex quidem Dei spiritualis est, Ego autem  
carnalis uenditus sub peccato. Usq; ad legem pec-  
catum erat in mundo, sed sine lege non imputaba-  
tur, id est, nemo sibi aut alijs imputabat. Deum ta-  
men semper imputasse, etiam ante datam legem,  
demonstrabat ad oculum mors, quæ regnabat in  
omnes ab Adam usq; ad Mosen. Mors enim pœna  
est peccati, inherens naturæ. Ante legem, peccatũ  
erat mortuum, id est, non sentiebatur uiuere, sed ue-  
niẽte præcepto, peccatum reuixit, id est, sentiebatur  
uiuere in nobis, Ego uero, inquit Paulus, mortuus  
sum, id est, intellexi me esse addictum morti, &  
massam peccati adiudicatam æternis pœnis, propter

Saccum plenum peccatorum, quæ circumfero, id est, propter naturam depravatam, & corruptam ex peccato originis, ex qua ceu putredine, scatent subinde uermes, & uitia omnis generis, quæ imputarentur ad æternam condemnationem nisi condonarentur propter fidem in Christum. Illud uero, quod Ruarus ait, pœnitentiam esse donum Dei, libenter agnosco. Nam in uera pœnitentia concurrunt multa dona Dei. Primum quod mittuntur Doctores ad prædicandum Euangelium, quomodo inquit Paulus, prædicabunt, nisi mittantur? Alterum quod Deus per ministerium, & uocem suam sonantem lingua Doctoris efficax est in mentibus ad liberandas eas à potestate Satanae, & dandam pœnitentiam. Hoc est, ut ipse Paulus ex ore Christi in Actis cap. 26. exponit, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanae ad Deum, & ut respiscant à Diaboli laqueo, ut ad Timoth. ait, ut accipiant remissionem peccatorum, & hereditatem, inter eos, qui sanctificati sunt per fidem in Christum. Tertium, quod cum retrahuntur à Satana, cuius tanta est potentia, ut suis uiribus non possunt ei resistere, diuinitus iuuentur, ut trahentem patrem ad filium, per Spiritum sanctum in ministerio sequantur cum petunt se iuuari, ut credunt Euangelio, sicut ille ait, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam, ac fiant filij Dei, sicut Iohannes inquit, Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his uidelicet qui credunt in nomine eius.

Quod

Quod uero Ruardus ex decreto Concilij Florentini, ex scripto ad uerbum, ex sententiariorum libris, affirmat, esse tres partes Sacramenti pœnitentiae non repugno, si de publica pœnitentia loquatur. Nam Episcopi una cum pontifice Cornelio, in synodo conuocata contra Nouatum, decreuerunt ut pœnitentes, qui erubescerent coram tota Ecclesia confiteri, sua peccata, (ut inde à temporibus Apostolorum usq; ad persecutionem motam contra Ecclesiam à Decio imperatore obseruatum fuit) priuatim uni ex presbyteris ad hoc delecto, ut pœnitentes audiret, & post impositas satisfactiones canonicas, si illas se præstituros promitterent, absolueret, confiterentur ut testantur scriptores historiae Ecclesiasticae, Socrates, Sozomenus, & Nicephorus.

De hac pœnitentia concionari Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & Chrysothomum scio, & fateor hæc quæ Ruardus citat ex horum dictis, pro confessione auriculari, & satisfactione, de illa accipienda esse, hoc est de priuata confessione manifestorum criminum, & de satisfactione quæ fiebat Ecclesiae.

Ita autem intelligi debere iam demonstrabo, Nam post illa uerba quæ Ruardus citat ex Epistola Leonis Papæ ad Theodorum. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiae iniungant, & salubri

a s

satis=

satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per reconciliationis ianuam admittant, post hæc inquam, sequitur, Quod si aliqua ægritudine, ita fuerunt aggravati, ut quòd paulò ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non ualeant, testimonia eis fidelium circumstantium, prodesse debent, ut simul, & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen Regula Canonum paternorum, circa eorum personas, qui in Deum à fide discedendo, peccarunt.

Et Augustinus Epist. 180. quam citat Ruardus clarè loquitur de reconciliatione eorum, qui excommunicati fuerint ab Ecclesia, An nescimus inquit cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, quantus ab utroq; saxu, ab omni ætate fieri soleat in ea concursus, baptismum alijs flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem.

Etsi autem in testimonijs ex libro 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 2. diui Ambrosij, de pœnitentia nullum sit uerbum confessionis aut satisfactionis, sed tantum pœnitentiæ, tamen monstrabo eum de publica pœnitentia loqui, uerba eius sunt libro 2. cap. 10. Meritò reprehenduntur qui sæpius agendam esse pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si ueram agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptismum, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leuiorum illa grauiorum. Sed

Sed rethoricatur Ruardus & ex Encomijs sacerdotij, quæ sunt apud Chrysoſthomum lib. 3. cap. 5. & 6. colligit sacerdotes habere potestatem iudiciariam, & regiam & maiorem potentiam quam sacerdotes Mosaicos qui de lepra iudicabant. Igitur necesse est inquit, ad eorum tribunalia pro remiss. peccat. confugere, & eis iudicium de peccatis deferre.

Respondeo simpliciter & Dialecticè, & tribuo eis maiora ἀξιωματα quam Iudicibus, Regibus Parentibus aut Angelis. Fateor etiam illos posse uocare facinorosos ad sua tribunalia, & condemnare reos, & inobedientes, ac contumaces excommunicare, & arcere imperatorem ab ingressu templi, sicut Ambrosius, Theodosium exclusit. Postremo deferendum esse iudicium de occultis peccatis, de quibus dubitatur, sacerdoti, & consilium quod dederit faciendum, & sequendam esse, iuxta præceptum legis, & admonitionem Originis.

Sed ex his omnibus non sequitur, quod id tribuendum sit sacerdotibus, quod Deus sibi soli reseruari, & proprium esse uoluit, ut scilicet sint inspectores cordium, & iudices occultorum peccatorum, & quod ad horum enumerationem confitentes cogere possunt, Sacerdos enim ut Ambrosius ait, officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet. Et nota sunt uerba Leonis de pœn. d. 1. quæ plenitudo fidei uideatur esse laudabilis,  
que

quæ propter Dei timorem, apud homines erubescere non ueretur, tamen quia non omnium sunt huiusmodi peccata, ut ea quæ pœnitentiam poscunt, nō timeant publicare, remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis suis facta sua reserare, quibus possunt Legum percelli constitutione.

Quæ ex Epistola 14. lib. 3. beati Cypriani profert de lapsis à fide, tantum ad publicam pœnitentiam pertinent. Verba Cypriani sunt, cum in minoribus peccatis, agant peccatores pœnitentiam, iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinem, ad exhomologesin ueniant, & per manus impositionem Episcopi, & cleri ius communionis accipiant. Nunc crudo tempore, & persecutione adhuc durante, nondum restituta pace Ecclesiæ, ad communionem admittentur sine pœnitentia?

Omnia igitur quæ Ruardus citat ex patribus ad probandum tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, de publica pœnitentia necesse est intelligi.

De hac autem, ut ante dicebam, facile permitto omnia quæ postulat Ruardus, & eam pœnitentibus esse necessariam, & constitutiones Ecclesiæ obseruandas, & decreta conciliorum, & canones pœnitentiales qui non sunt abrogati, & non pugnant cum Prophetica, & Apostolica scriptura.

Nec repugno, Sacerdotem dici ministrum Sa-

cr4=

cramenti poenitentiae, Et hunc reuera absoluere à peccatis poenitentes, Et uerba Christi quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, ad utrumq; Sacramentum, id est, Baptismi & poenitentiae, ex aequo pertinere & unum in utroq; ut Ambrosius ait, contra Nouatianos, esse mysterium.

Et hoc etiam concordiae Ecclesiae donabo, impositionem manuum quae curationi infirmorum, & ordinationi ministrorum, & benedictioni coniugum est communis, sicut Ambrosius contra Nouatianos ait, Cur manus imponitis, & benedictionis opus, si quis forte reualuerit egrotus, dici huius Sacramenti, id est, poenitentiae caeremoniam.

Illam etiam quae Chrysostomus de Baptismo & Coena Domini inquit, quae mysteria haud aliter quam per sacrosactas illas manus perficiuntur, manus inquam Sacerdotum, sine quarum proinde ope fieri non potest, ut aut gehennae ignem uitare quis possit, aut repositae in caelo coronae praemia assequi patior accommodari ad impositionem manuum in absolute, quam Iohannes Duns meus popularis, ut Ruardus ipse fatetur docebat esse Sacramentum poenitentiae. Sic enim definit illud, Sacramentum inquit poenitentiae, est absolutio hominis poenitentis facta à sacerdote iurisdictionem habente, sub certa uerborum forma, cum debita intentione prolata, ex institutione diuina efficaciter significantium absoluteionem animae à peccatis.

Etsi autem Ruardus, multum tribuat decreto

Con=

concilij Florentini, quod scriptum apparet ab his qui sequuntur Thomianam theologiam. Non tamen existimo eum uelle damnare doctorem subtilem, & Guilelium Ockam & Gabrielem Biel, ac Gersone, qui hanc definitionem defendunt, praesertim cum in alijs sequatur Scotum & in declaratione huius articuli, dicat doloris imperfectionem, & omnem ex parte peccatoris defectum, uirtute sacramenti, id est, absolutionis suppleri, modo non sit talis defectus, quo poneretur obex uirtuti sacramenti & gratiae Dei.

Non possum existimare Ruardum uelle commemoratos doctores, scholasticos, & alios qui negant esse tres partes sacramenti poenitentiae condemnare, propter decretum concilij Florentini, conuocati ab Eugenio contra recessum synodi Constantiensis quo iubetur proximum concilium, intra decennium Basileae cogi, praesertim cum sciat graecos in synodo Basiliensi contra definitiones Eugenij obtulisse apologiam & ipse fateatur, durandum Episcopum de sancto portiato sustinere confessionem, cum contricione praecedente, esse sacramentum poenitentiae, nec inter Theologos conueniat quomodo dicantur partes poenitentiae, essentiales, an integrales, an uero subiectiuae uel potentiales, uel materiales, aut aggregatiuae & potestatiuae, ac ne quidem ullus inter praecipuos sibi constet. Alexander parte 4. q. 60 membro. 9. & post eum Richardus, tenent contricionem, & satisfactionem esse



esse materiam poenitentiae, Et idem Doctor q. 66. articulo 2. membro 2. negat posse dici partes subiectiuas, & affirmat esse partes integrales Contra Gabriel Biel q. 16. lib. 4. conclusione 5. probat esse partes subiectiuas. Et in altera conclusione negat ullo modo proprie dici partes poenitentiae, sed tantum aggregatiuae.

Sanctus Thomas secunda secunda ait contritionem, confessionem, & satisfactionem esse tantum partes potentiales Sacramenti poenitentiae, Et dist. 16. lib. 4. in suo scripto, super sententias affirmat, esse partes Integrales, sed non quantitatuas, aut omogeneas, aut Etherogeneas, sed essentiales sicut materiam & formam.

Sanctus Bonauentura, in quaest. circa textum dist. 16. probat, neq; partes essentiales, neq; integrales, neq; subiectiuas, sed tantum potestate, seu potestatiue, id est, potentiales dici posse.

An non est haec λογωμαχία? & tamen de his Thomistae contra Scotistas, & Franciscani contra Dominicastro, sicut pro aris & fctis pugnant, et utriq; insimulant haereseos, illos qui negant contricionem, & confessionem ac satisfactionem esse tres partes poenitentiae.

Ego uero supra dicebam, & nunc repeto me facteri haec tria requiri in poenitente & petente Absolutionem, ac reconciliationem cum Ecclesia, quam suis peccatis offendit, & meruit ut a communione arceretur.

Deinde

Deinde de occultis peccatis mortalibus confitendum saltem in genere, & de illis petendum esse consilium de quibus conscientia dubitat, nec ullum admittendum ad communionem, nisi confessum, & exploratum, & qui promittit emendationem uitæ, & obedientiam erga Ecclesiam, Quid uis Ruarde amplius?

Sed de hoc non tantum contenditur, uerum id male habet Ruardum, quod aliqui dicant fidem esse partem pœnitentiæ. Colligit ἀντιλογίας, & ut odiosos faciat aduersarios affirmat eos inter se discordes esse, & ut ipsi se conficiant, inter se committit, ait Caluinum probare fidem non esse partem pœnitentiæ, ex dicto Pauli Actorum 20. testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ est erga Deum pœnitentiam, & fidem quæ est in Dominum nostrum Iesum Christum, Deinde docere, mortificationem, ut est altera pars pœnitentiæ, significare castigationem carnis, & non tantum contricionem. Præterea carnis castigationem, uel mortificationem non posse dici partem pœnitentiæ, quod Paulus hanc sanctis præcipiat quibus nihil opus est Sacramento pœnitentiæ.

Postremo negat Absolutionem posse dici Sacramentum pœnitentiæ, quod sit testimonium promissionis Euangelij de gratuita remiss. peccat. institutum per Christum, ut per id minister Ecclesiæ applicet beneficium ipsius ad pœnitentem, Vel quod is, qui sua peccata agnoscit, & confitetur audita  
Abso=

Absolutione, possit promissionem remiss. peccat. ad se sua fide applicare.

Ait hæc esse commenta hominum qui fingunt sibi nouum Euangelium. Et nusquam inueniri quòd in eo omnibus remissio peccatorum offeratur, aut quòd quilibet debeat sua fide ad se applicare beneficium Christi, & promissionem Euangelij, aut pœnitentem posse statuere se habere remissionem peccatorum, modò credat absolutioni, & uoci ministri annunciantis sibi remissionem, ex mandato & promissione Christi.

Hoc etiam calumniatur quod dicunt in absolutione annunciari remis. pec. quod quilibet potest hanc annunciare. Et quod alioqui sequeretur sacramentum pœnitentiæ non esse necessarium, quia quilibet ad se potest applicare beneficium Christi & promissionem Euangelij.

Ac profectò mirari potest, etiam is, qui in doctrina scholastica mediocriter est uersatus, quo consilio Ruardus hæc dicat, sed sciendum est, eum docere, neq; fidem, neq; ueram contritionem requiri ad remiss. peccat. sed satis esse, si is qui confitetur non ponat obijcem per impœnitentiam, etiamsi non uerè sit contritus, nec credat absolutioni, ac ne quidem de hac cogitet.

Ideo enim supra dixit contritionem ueram, & omnem ex parte peccatoris defectum, uirtute sacramenti suppleri, modò non sit talis defectus, quo poneretur obex uirtuti sacramenti & gratia Dei, Fin  
b git

git enim ut supra dictum est, Sacramentis noui Testamenti inesse uirtutem diuinam, conferendi gratiam suscipienti ex opere operato, sine fide & bono motu utentis. Et hoc esse discrimen sacramentorum noui testamenti à sacramentis ueteris testamenti, quod ista conferant gratiam ex opere operato. Illa uerò tantum ex opere operantis, id est, ex fide.

Hanc esse doctrinam Pharisaicam contra quam concionati sunt omnes Prophetæ, Christus & Apostoli, mox in principio huius responsionis ad defensionem Articulorum Louaniensium, demonstraui. Et clarius adhuc in re præsentis declarabo.

Quid enim aliud docet Ruardus, cum ait, sine contritione uera, & fide in Christum remitti peccata à sacerdote, uirtute operis operati, quam docuerunt sacerdotes, hostes Christi, ad quos ipse misit decem leprosos, ut offerrent munus à Mose præceptum in testimonium illis?

Illi docuerunt leprosos credere debere, quòd non per fidem in Christum mundati essent, sed propter uirtutem sacrificij & eius acceptationem, & deferendum esse eorum ministerio quòd essent sanati, & gratiam ipsis referendam, non Christo. Ideoq; nouem qui huic doctrinæ fidem habuerunt, non sunt reuersi ad Christum, nec dederunt gloriam Deo.

Ruardus docet, Homines debere statuere quòd uirtute ministerij & propter uim absolutionis habeant remissionem peccatorum, & non propter fidem

dem

dem habitam promissioni Euangelij & uerbis abso-  
lutionis, nec sacerdotem esse ministerium alieni be-  
neficij, sed sua auctoritate, & potestate, ac uirtu-  
te conferre gratiam ijs qui neq; fiduciam suam collo-  
cant in Christum, neq; confidunt sibi propter ipsum  
remitti peccata.

Vbi inquit, Docet scriptura pœnitentibus re-  
mitti peccata, modò hoc secum statuunt, aut iisdem  
R. P. offerri, si modo per fidem eam acceptent?  
Rursus ubi docet Remissionem peccatorum esse  
annunciationem remissionis?

Non est autem opus longa refutatione huius  
doctrinae Ruardi, quæ improbatur omnibus doctis  
& pijs, inter Scholasticos. Nam contra utrumq;  
horum scilicet, quod sine uera contricione, & sine  
uera fide, uirtute Sacramenti remittantur peccata  
ex opere operato sic argumentantur, ex Augustino  
in libro de pœnitentia, Nemo sine uoluntatis arbi-  
ter nisi pœniteat eum ueteris uitæ, nouam inchoare  
potest, à qua paruuli sunt immunes, cum bapti-  
zantur, quia nondum possunt uti libero arbitrio,  
quibus tamen ad remissionem originalis peccati,  
prodest eorum fides à quibus offeruntur. Et Lon-  
gobardus dist. 4. ait, sine gemitu interiori nemo  
adultus renouatur. Igitur sine contritione & fide  
non fit remiss. peccat.

Addunt & hanc rationem, Ad iustificationem  
Impij, requiritur motus liberi arbitrij, qui est ex fi-  
de tanquam dispositio præuia.

b 2

Sed

Sed per Sacramentum poenitentiae, Iustificatur impius, Igitur ad eius susceptionem requiritur motus liberi arbitrij ex fide. Consequentia, & minor propositio sunt notae.

Maior autem est Alexandri de Ales, sancti Thomae, sancti Bonaventurae, Richardi, Durandi, Petri de Palude & probatur ab eis, per textum. Iuncta glossa, ad Romanos quinto. Iustificati ex fide pacem habemus cum Deo, per fidem inquit glossa, id est, ex motu liberi arbitrij, qui est ex fide, Ideo dicitur Acto. 15. fide purificans corda eorum, quia motus fidei primo requiritur ad purificationem &c.

Quod si Ruardus tam impius est, ut propter hanc rationem Pharisaeicam, si Sacramentum poenitentiae, sine contricione & fide, non confert gratiam ex opere operato, sequeretur, quod Sacramentis ueteris Testamenti in conferenda gratia, non esset efficacius, uult tot Doctoribus Scholasticis cum manifesta scriptura, suam doctrinam de Iustificatione per fidem confirmantibus, contradicere ualeat, Ego cum eo non contendam, cum erret ipse & alios in errore manifesto retineat.

Neq; potest haec testimonia scripturae iam commemorata, de fide hypocritarum, & diabolorum qui credunt Deum esse, & propter iusticiam & supplicia eum odiunt, interpretari, quia illi neq; sunt ex fide iustificati, neq; pacem habent cum Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, Neq; per eum habent accessum ad gratiam, neq; in illa praestant,

stant, neq; gloriantur de spe gloriae Dei, Multo minus propter hanc gloriantur de afflictionibus, sed Deum propter has fugiunt, & ei maledicunt.

Commemorati autem Doctores, dicunt ad Sacramentum poenitentiae requiri motum liberi arbitrij ex fide, quia per illud homines iustificantur, Et quod iustificatio sit ex fide, Iuxta illud iustificati ex fide, pacem habemus cum Deo & c. Ii igitur doctores scholastici docent sic requiri fidem ad poenitentiam, sicut contricionem, Imò ueram contricionem esse ex fide, etiamsi non expresse dicant hanc esse partem Sacramenti poenitentiae, quia non est uisibilis ceremonia, Et Sacramenta sint signa uisibilia, sicut Augustinus ait, Accedat uerbum ad Elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum uisibile uerbum. Ideo etiam aliqui ex eis docent, Absolutionem hominis poenitentis & confitentis proprie dici Sacramentum, & contricionem praesupponi.

Et ij qui docent contricionem, & fidem esse partes poenitentiae, complectuntur Absolutionem in fide, quia fides est ex auditu ut ait Paulus, Et audita Absolutione homines fide eriguntur, & concipiunt consolationem. Ideoq; docent Deum per Sacramentum poenitentiae uere remittere peccata, quia per fidem habitam uerbo Euangelij, & Absolutioni uiuificat & iustificat. Absolutionem autem esse ueram uocem, & promissionem Euangelij propriam.

Quemadmodum enim Catechumenis poenitentibus

tibus Minister Ecclesie in baptismo annunciat remissionem peccatorum. idque mandato Christi, & ex ipsius promissione, sic poenitentiam agentibus post Baptismum, & sua peccata confitentibus eiusdem precepto per Absolutionem annunciat remissionem peccatorum. nisi forte maior sit authoritas ministri in poenitentia quam in Baptismo. Petrus sciscitantibus Iudaeis quid faciemus uiri fratres? Respondit, poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Domini Iesu, in remissionem peccatorum. & accipietis donum Spiritus sancti.

Baptismus igitur est Sacramentum poenitentiae, Et minister in eo non aliter confert remissionem peccatorum quam in Absolutione, quam secundam poenitentiam uocant Tertulianus, et Augustinus, Hieronymus, alteram tabulam post naufragium, Et tamen in Baptismo Petrus Apostolus annunciat remissionem peccatorum. baptizetur inquit, unusquisque uestrum in remissionem peccatorum.

Sic Paulus exponens significationem baptismi docet nos in mortem Christi baptizatos esse, & consepeliri una cum illo per Baptismum in mortem, Et Iohannes in sua reuelatione inquit, qui lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Nec aliter Christus iubet Apostolos annunciare Euangelium, cum ait, Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, quam cum addit predicate poenitentiam, & remissionem peccatorum in nomine meo, Imò promissio hæc fuit ex precepto, Et quia  
Chri-



Christus iubet prædicari poenitentiam, & remissionem peccatorum, in nomine suo, Ideo tribuit eis potestatem remittendi peccata, Nec aliud est remittere peccata in nomine Christi, quam annunciare illa esse remissa, aut remitti per ministerium præceptum, & institutum per ipsum, Vnde enim habet Ecclesia potestatem remittendi peccata, nisi ex Evangelio super quo est fundata?

Qualis autem consequentia est, Mortificatio complectitur castigationem carnis, Igitur non est pars poenitentiae quatenus significat contritionem? Aut quomodo cõsequitur, Mortificatio præcipitur sanctis, Igitur non est pars poenitentiae, quia sanctis non est opus poenitentia?

Hæ consequentiæ ualent apud eos, quibus Christus dixit, Non opus est his medico, qui ualent, sed illis, qui malè habent. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam, sed apud eos, qui agnoscunt se esse peccatores, & perpetuo habere peccata, de quibus poeniteant, nihil ualent ille sophisticæ collectiones, non opus est Sacerdoti confiteri, nisi de peccatis mortalibus. Igitur sancti nihil opus habent poenitentiae uirtute, & ut Deo confiteantur, dicentes, Tibi solum peccaui, & Mortificatio perpetua corporis peccati, non est pars poenitentiae, ut Prophetæ, Christus, & Apostoli, de poenitentia loquuntur.

Quam necessario ista coherent, Paulus addit

b 4

poeni-

poenitentiae erga Deum, fidem in Dominum nostrum  
Iesum Christum, Igitur fides non est pars poeni=  
tentiae, id est, non requiritur in poenitente acci=  
piente remissionem peccatorum, Nam poenitentia  
in doctrina Apostolica interdum significat partem  
integræ conuersionis, id est, contritionem. Non  
nunquam pro tota conuersione accipitur, ut in do=  
ctrina Ecclesiastica, de poenitentia, quemadmodum  
ex his, quæ iam subiiciemus erit manifestum.

Simplicissima formula docendi de  
Poenitentia, sicut Prophetæ, Chri=  
stus & Apostoli, ac sancti Patres  
de illa docuerunt.

**R**espondi iam simpliciter, & sine ulla sophisti=  
ca ad calumnias Ruardi, & ingenuè confes=  
sus sum omnia illa quæ in controuersia de partibus  
poenitentiae, concordiae causa, sine deprauatione  
Euangelij possunt condonari, nec disputabo de his  
prolixius, cum de singulis partibus poenitentiae se=  
orsim dicendum erit. Nunc igitur de perpetua  
doctrina filij Dei, reuelata Ecclesiae, & propagata  
per Prophetas, Apostolos, & sanctos Patres, bre=  
uiter & simpliciter dicam.

Filius Dei qui docuit primos homines in pa=  
radiso post lapsum de poenitentia & remis. peccat.  
per fidem habitam promissioni de uenturo semine  
mulie=

mulieris quod conterit caput serpentis, & qui suam  
prædicationem, postquam assumisset humanam na-  
turam sic incepit, Pœnitentiam agite, & credite  
Euangelio, & ascensurus in cœlum præcepit præ-  
dicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in  
nomine suo. Hanc doctrinam in Ecclesia usq; ad iu-  
dicium extremum, inuitis omnibus portis inferorum  
conseruabit.

Vt autem omnis occasio contentionum de uer-  
bis & ambiguitate sermonis, tollatur, Initio dicen-  
dum est, quomodo Prophetæ, Christus & Apostoli,  
utantur uoce pœnitentiæ.

Sicut in latino sermone pœnitentiæ aliquando  
significat facti improbationem, uel ut Tertulianus  
ait, Passionem animi de offensa facti prioris, hoc est  
contritionem, nonnunquam integram conuersio-  
nem, sicut in doctrina de pœnitentiæ, sic in Prophe-  
tis duo sunt uerba quorum unum propriè significat  
dolorem animi de facto prioris, id est, **נחם** cuius  
ethymologia, & propria significatio traditur à  
Moysè Gene. 6. **נחם** id est, pœnituit Domi-  
num, quod fecisset hominem in terra & contrista-  
tus est in corde suo. Et Exo. 32. Et pœniteat te mali,  
quod loquutus es contra populum tuum. Item, Ps.  
106. Memor fuit erga eos fœderis sui, & pœnituit  
eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Ali-  
ud est **נשׁוּב** quod significat conuersionem in gene-  
re, uel integram conuersionem, ut Ezechielis 18.  
An uolo, an delector morte, impij dicit Dominus  
b 5 Deus,

Deus, & non magis **בְּשׁוּבוֹ** in conuertendo eo à  
uijs suis, ut uiuat. Et Ioelis 2. Conuertimini ad me  
in toto corde uestro.

Huic autem conuersioni in doctrina Christi, &  
Apostolorum, quæ scripta est in lingua Græca re=  
spondet perpetuo **μετανοία**, Et hæc nonnunquam  
totam conuersionem continet, ut in concione ba=  
ptistæ, **μετανοήτε** conuertimini appropinquat  
enim regnum cælorum, aliquando contricionem,  
& distinguitur à fide, ut in concione Christi **μετα**  
**νοήτε, καὶ πιστεύετε τῷ εὐαγγελίῳ** conuertiti=  
mini, & credite Euangelio.

In doctrina uero de pœnitentia, capitur pro in=  
tegra conuersione, ut contineat contricionem, &  
confessionem peccati, ac fidem credentem Absolu=  
tioni, & promissioni Euangelij.

Hæc de uocabulis nunc de re ipsa, Manifestum  
est autem, non nunc primum ortas esse dissentiones,  
de uera conuersione hominis ad Deum, sed cœpisse  
cum primus hominibus & subinde renouatas in  
Ecclesia.

Fateri autem res ipsa cogit, primos homines  
post lapsum nesciuisse, qua uia ad Deum esset re=  
deundum, Imò fugisse Adam à filio Dei requirente  
eum ceu ouem perditam, & abscondisse se in me=  
dio orti, & inter densiores arbores, ac dicenti A=  
dam ubi es? respondisse, Vocem tuam Domine au=  
diui, & timui eò quod nudus essem.

Dolen

Dolendum est etiam tantam fuisse ignorantiam,  
& superbiam hominis, ut nec admonitus à filio  
Dei dicente quis ostendit tibi quod nudus esses, nisi  
quod de arbore, de qua præceperam tibi ne comme=  
deres, commedisti, agnouerit se debere fateri pecca=  
tum, & deprecari iram ac postulare ueniam, &  
quod se excusauerit, & reiecerit à se culpam in mu=  
lierem, atq; in ipsum Deum, qui eam sibi dederat so=  
ciam uitæ, & propagationis generis humani. Mu=  
lier inquit quam dedisti mihi sociam, tulit de ligno  
& dedit mihi, & comedi.

Huius superbæ excusationis, in qua fatetur se  
amorem mulieris prætulisse amoris Dei conditoris,  
ipse & posteri omnes dant grauissimas pœnas, per  
omnem uitam, & in morte, ut ex eis discant hu=  
militatem, & suam culpam agnoscant, & de illa  
agant perpetuam pœnitentiam.

Procedit ergo Deus ad prædicandam pœniten=  
tiam, & infligit pœnas duplices pro inobedientia,  
& superba excusatione peccati. Nec dubium est,  
quin tristitia, & desperatione extinctus fuisset A=  
dam, nisi filius Dei eum consolatus fuisset edita  
promissione de semine mulieris, quod conterit ca=  
put Serpentis.

Hanc promissionem cōstat Adam intellexit, de illo  
Domino qui loquebatur suscepturo humanam natu=  
ram, ex sua posteritate & in hac assumpta humani=  
tate futuro uictima pro peccato. Et ad testandam  
suam fidem de promissione mandato Dei obtulisse  
agnum,

agnum, Et hæc exempla imitatum fuisse Abel in offerendo agno.

Ideo enim Iohannes in sua reuelatione dicit Christum esse agnum occisum ab origine mundi, quod Adam mandato Dei, ad testandam suam fidem de promisso semine quod futurum esset uictima pro peccato, agnum obtulisset, Nec dubium est Esaiam cum ait, Christum sicut ouem ductum ad uictimam esse, Et Baptistam in dicto, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, respexisse ad hostias immolatas ab Adam, Abel, Seth, & alijs Patriarchis Patribus generis humani.

Etsi enim de aliorum sacrificijs qui inter Abel & Noe intercesserunt, Mose non meminit, tamen nihil dubium est quin Seth quem Adam confert cum Abele, Et Enos qui cœpit inuocare nomen Domini, & Kenan, & Mahalaleel, & Jared, & Enoch, qui raptus est in cœlum, & Mathusalech, & Lamech, qui successerunt ordine in ministerio ad confirmandam suam, & Ecclesiæ fidem de promissione facta in paradiso, obtulerunt sacrificia, & statuerunt se accipere remis. peccat. & placere Deo propter fidem in uenturum dominum & liberatorem, qui futurus esset hostia pro peccato, cum eorum uictimæ cœlesti igne consumerentur. Ideo enim Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi, quia subinde immolabatur in mysterio & sacrificijs, unicam eius hostiam representantibus.

Neq; enim potuit consistere sacerdotium sine  
repe=

repetitione sacrificij diuinitus instituti, & Mose uoluit nos aestimare omnes sacerdotes, quorum nomina ordine recenset inter Abel & Noah, imitados fuisse eorum doctrinam & cultum, id est, inuocationem & religionem sacrificandi.

Quòd Paulus ait, Omnis pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur, In his quæ Deo exhibentur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: Non tam ad sacerdotium Leuiticum, quam ad sacerdotium Melchizedech pertinet, ut ipse istic docet, & ad omnes sacerdotes diuinitus constitutos, etiam ante Melchizedech, qui fuit primus sacerdos in nouo mundo post diluuium sicut Adam & Abel, Seth, Enos, Kenan &c. in primo mundo.

Neq; Iob ex Leuitis erat, aut ex semine Iacob, sed Esau, Et tamen de eo scriptum est, quod manens surgens offerebat totidem holocausta, quot habebat liberos, quia cogitaret secum eos peccasse, & indigna de Deo loquutos esse.

Vt igitur Adam & Abel, ita omnes deinde eorum primogeniti apud quos erat ius primogeniture & regni, cum pro suis & populi peccatis supplicarent, & illa coram Deo confiterentur, & peterent sibi remitti propter promissum semen quod foret uictima pro peccato, suam fidem de illa promissione testabantur sacrificijs, & Deus cœlesti igne dimisso, uictimas absumens quasi manu de cœlo protensa, interdum etiam uiua uoce absoluit penitentes. Ideo

Ideo dicitur à Mose Deus respexisse ad Abel  
& sacrificium suum, & de Noah quod odoratus sit  
Dominus odorem suauitatis, & dixerit, Nequa=  
quam ultra maledicam terræ propter hominem.

Cain, Idea simiarum, sanctorum omnium tem=  
porum, qui imitantur eorum externa facta, uacui  
uero timore Dei, & uera fiducia promissionis de  
Christo, Exemplo parentis offert fruges, iudicans  
eas pretiosiores agno, uolens satisfacere pro ino=  
bedientia parentum, & sua. Et irascitur Deo qui  
non acceptat sacrificium, & occidit fratrem, Et de  
peccato obiurgatus, primo fratricidium excusat,  
per ignorantiam, de qua etiam Deum insimulat qua  
si nesciret quid fecisset, Nam sciscitanti Domino,  
Vbi est Abel frater tuus? respondit, Nescio. Num=  
quid custos fratris mei sum ego? Deinde conuictus  
testimonio terræ, quæ sanguinem fratris effu=  
sum exhauserat, & cuius cruor adhuc in rubicum=  
da superficie cernebatur non deprecatur iram, nec  
petit sibi ignosci propter semen mulieris, quod con=  
teret caput serpentis, sed magnitudinem sui sceleris  
cum dignitate suæ satisfactionis per oblatas fruges  
conferens, edit uocem plenam desperationis, Maior  
est iniquitas mea, quam ut ueniam merear.

Nulla hic partium pœnitentiæ quas enumerat  
Ruardus defuit, contritio tanta erat, ut desperaret  
confessio est manifesta in uerbis, Maior est iniqui=  
tas mea, quam ut ueniam merear, Satisfactionem  
maio=



maïorem paratus fuit perferre, quam illa erat, quæ est ei à Sacerdote filio Dei imposita.

Cum enim audiuiſſet, Maledicta terra, quæ aperuit os ſuum, ut exciperet ſanguinem fratris tui, quando colueris humum non dabit tibi robur ſuum, uagus, & profugus eris in terra. Reſpondit, Maior eſt iniquitas mea, quam ut ueniam merear. En eiecisti me hodie à terra, & à facie tua abscondar, ut ſim uagus, & profugus in terra, Hoc igitur futurum eſt, ut quicquid inuenerit me, interficiet me.

Quid ergo hic defuit horum, quæ Theologi Louanienses requirunt, in priuata aut publica pœnitentia, quæ tum à filio Dei inſtituta fuit pro grauioribus delictis?

Si non requiritur fides in pœnitentia, cur dicitur Cain eſſe damnatus, cum egit publicam pœnitentiam, contritus eſt, confeſſus eſt, & præſtitit ſatisfactiones impositas, & pertulit mortem occiſus à ſuo abnepote Lamech?

Si fides requiritur non minus quam contritio, immò magis, quod ſine fide contritio nihil ualet, cur negatur eſſe pars pœnitentiæ?

Et quæ nam fides? Illa ne quæ ſtatuit Deum eſſe, & bonorum remuneratorem, An fiducia miſericordiæ in Chriſto promiſſæ, & quæ ad ſe applicat beneficium ipſius, Nam priorem Cain habuit, Cur igitur eſt damnatus?

Si poſterior fides, quæ ſtatuit peccata remitti propter

propter Christum, semen illud mulieris promissum in paradyso, cur Ruardus ait nihil de hac in scriptura traditum esse, Et eos qui docent quemlibet uerè pœnitentem, debere statuere se habere remis. peccat. cum audit uocem absolutionis, & pxomis- sionem Euangelij ad se fide applicat, afferre nouum Euangelium ?

In Cain habemus Idæam falsæ pœnitentiæ qua nititur contritioni, confessioni, & satisfactioni propria, & non confidit promissioni factæ in paradyso de semine mulieris quod conterit caput serpentis, nec statuit Deum uelle remittere peccata propter Christum. Nec ipsi Lamech qui abauum Cain occi- dit defuit contritio, etiamsi per ignorantiam dici- tur eum iaculatum fuisse, cum putaret scram, quod ille fugiens hominum consuetudinem propter me- tum inter frutices latitaret. Et is etiam peccatum suum palam confessus est, dicens suis uxoribus, Au- dite uocem meam, quoniam uirum occidi in uulnus meum &c. Et de satisfactione addit, Si septuplò uindicabitur Cain, certè Lamech septuagies septi- es. Is igitur perijt per desperationem, quia ei fides defuit.

Et de Esau dicitur, quod non reperit pœniten- tiæ locum, tametsi cum lachrymis quæsiuisset eam, propterea quod erat impius, & excidit gratia Dei, id est, desperauit sicut Cain & Lamech. Ideo uen- didit Ius primogeniti & duxit idolatras.

Fides

Fides igitur ueram poenitentiam à falsa discer-  
nit, non contritio, confessio, & satisfactio per pœ-  
nas diuinitus impositas, aut ab Ecclesia inflictas.  
Noah maledicit filio Cham propter derisionem, Et  
subiecit eum seruituti, & totam suam posteritatem.  
Hæ poenæ sæuierunt in Cananeos, Amorreos, & ali-  
os populos quos filij Israel redigerunt in seruitutem  
deleta multitudine. Ruben propter incestum amit-  
tit ius primogenituræ, regni & sacerdotij cum tota  
posteritate. Et regnum quidem tribui Iudæ, sacer-  
dotium uerò tribui Leui delatum est.

Iacob maledicit Simeoni & Leui propter oc-  
cisos Sichem, & Hemor Gen. 49. exhæredat enim  
eos, ne acciperent certas sedes in terra Canaan, sicut  
aliæ tribus. Et hæ poenæ erant perpetuæ. Et de I-  
dolatris sumit Mose supplicium Exod. 32. Et iubet  
occurri tria millia, cæteros manere in luctu capite se-  
quenti. Maria soror Mosi lepra percutitur pro-  
pter ambitionem, & eijcitur extra castra septem  
diebus. Et propter manifesta peccata imponuntur  
publicæ satisfactiones Leuit. 4. & 5. capit. Ha-  
buitq; Eccl. s. inde ab initio cæremonias publicæ  
poenitentiae distinctas, ab illa priuata singulorum  
piorum pro quotidianis peccatis & occultis lapsi-  
bus, poenitentia, qua pij in seipsis continuo pecca-  
tum mortificant, ne prodeat in manifestum turpitu-  
dinem, Et de occultis gemunt, & Deo confitentur,  
& ab eo petunt per Christum remissionem, hancq;  
fide statuunt se impetrare. Hæc enim omnibus &  
c singulis

singulis per omnem uitam præcipitur, & est neces-  
saria, sed prior illa tantum ad manifesta peccata per-  
tinet.

Sed consulamus iam Prophetas, & considere-  
mus quid ipsi de partibus pœnitentiæ docent, in-  
primis autem Dauidem qui suam pœnitentiam, qua  
si ideam ueræ pœnitentiæ omnibus spectandam  
proposuit.

Vt igitur Cain nobis propositus est pro exem-  
plo falsæ pœnitentiæ, & is sua uoce plena despera-  
tionis, maior est iniquitas mea, quam ut ueniam me-  
rear, testatus est, omnes qui confidunt suis satisfa-  
ctionibus, cum à Deo arguuntur de peccato despe-  
ratos, Ita Propheta Dauid priusquam in Psalmo  
51. tradit doctrinam de uera pœnitentia, damnat in  
priori Psalmo, doctrinam Cain, renouatam in Ec-  
clesia per impios de satisfactione, per sacrificia cum  
inducit, Deum sic obiurgantem illos Hypocritas,  
Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gre-  
gibus tuis hircos &c. Et docentem hoc esse Sa-  
crificium quo ipse colitur, cum ei gratias agimus,  
quod ex omnibus malis quæ pro peccatis meremur  
nos eripiat, cum eum uera fide, hoc statuente inuo-  
camus. Sacrificia inquit Deo sacrificium laudis &  
redde altissimo uota tua, Et inuoca me in die tribu-  
lationis, Condemnata igitur impia doctrina de sa-  
tisfactione per sacrificia, Et declarata uera signi-  
ficatione sacrificiorum subiecit proximo Psalmo,  
de usu huius doctrinæ in uera pœnitentia, quoniam  
si 403

si uoluisses sacrificium dedissem utiq; holocaustis  
non delectaberis. Istic etiam doctrinam de uera poe  
nitentia traditam in Paradyso repetit, Et addit eti  
am de prima parte uerae poenitentiae sacrificium  
Deo spiritus contribulatus, cor contritum & hu  
miliatum Deus non spernes, Oritur autem haec  
contritio ex uera agnitione peccati, Ex qua sequi  
tur confessio integra, uidelicet non tantum de pec  
catis actualibus adulterio, & homicidio, sed de im  
munditia cordis, & corruptione totius naturae, Ti  
bi inquit solum peccaui, & malum coram te fe  
ci, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in pec  
catis concepit me mater mea.

Hac uera ut confessione, ait Deum delectari, &  
hanc esse integram confessionem peccati cum cir  
cumstantijs, & occultam ueritatem reuelatam Eccle  
siae a filio Dei. Ecce inquit ueritatem dilexisti, oc  
cultam in mysterio sapientiam manifestasti mihi.

Quia autem haec occulta sapientia, non tantum  
in agnitione peccati consistit, sed in cognitione pro  
missionis editae in paradyso, & repetitae ad Abra  
hamum, & ipsum Dauidem, de uenturo semine be  
nedicto quod futurum erat uictima pro peccato, &  
in uera cognitione Christi, de quo Esaias ait in sci  
entia sua, iustificabit ipse iustus meus multos, Ideo  
asperfione sanguinis Christi cuius typi erant hostiae  
omnes, inde ab initio mundi quando agnus ille Dei,  
ab Abel, & Adam occisus est, lauari a peccato po  
stulat, Asperges me Domine hysopo, et mundabor,

lauabis me, & super niuem dealbabor, Immò petit  
audire prædicationem de hac promissione, quæ ge-  
stire facit ossa, ante comminatione iræ Dei à Na-  
than Propheta dicente, Tu es ille filius mortis &c.  
perturbata, & contrita.

Audire me facias gaudium & læticiam, Et ge-  
stire facias ossa quæ tu contriuiisti, Vnde autem sit  
hæc læticia, ipse addit, quod Deus uelit abscondere  
faciem suam à peccatis eius, & omnem prauita-  
tem ipsius tollere, absconde faciem tuam à peccatis  
meis, & omnes iniquitates dele, uel ut in alio Psal-  
mo qui est de eodem argumento ait, uelit portare  
suas iniquitates, & peccata sua tegere. Beati in-  
quit, quorum portantur iniquitates, & quorum te-  
sta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Do-  
minus peccatum.

Hæc est prima pars fœlicitatis, & læticiæ pio-  
rum omnium in hac uita, remissio scilicet peccato-  
rum gratis per misericordiam, sicut Paulus ex com-  
memorato Psalmo ad Roman. 4. probat. Et Pro-  
pheta hic præcatur, Miserere mei Deus, secundum  
magnam misericordiam tuam, Et secundum mul-  
titudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem  
meam.

Docet igitur Propheta alteram partem poeni-  
tentiæ, uel ueræ conuersionis ad Deum esse fiduciam  
misericordiæ qua iustificamur, & regeneramur per  
Spiritum sanctum, ut possumus facere dignos fru-  
ctus poenitentiae. Quales inquit fructus? satisf-  
factio

factiones ue? & opera indebita? aut supererogatio-  
nis quibus redimamus poenas purgatorij? Nequa-  
quam, sed opera quae a Deo praecipita esse in priori  
Psalmo dixit, Immola Deo sacrificium laudis, Et  
redde altissimo uota tua, docebo iniquos uias tuas,  
& impij ad te conuertentur. Et pro liberatione a  
poenis temporalibus, promittit se, hanc doctrinam  
de iustificatione per fidem, & fiduciam gratuita  
misericordiae praedicaturum esse, libera me de san-  
guinibus Deus, O Deus salutis meae, & resonabit  
cum laude lingua mea iusticiam tuam.

Sic Esaias concionaturus de poenitentia, ante  
omnia inuehitur in hypocritas, qui putabant se  
suis sacrificijs satisfacere posse pro peccatis, audite  
inquit uerbum Domini, tyranni Sodomorum, auri-  
bus percipe populus Gomorrhæ. Ad quid mihi mul-  
tudo uictimarum uestrarum dicit Dominus? Ho-  
locausta arietum, & adipem saginorum odi, E-  
saie 1.

Et apud eundem exostulantibus cum Deo,  
quod non aspiceret eorum ieiunia, Et dicentibus  
quare ieiunauimus & non aspicias, affligimus ani-  
mas & ignoras? Responsum est, Nunquid hoc  
est ieiunium quod elegi, ut affligat homo interdum  
animam suam, aut retorqueat caput suum tanquam  
hamum, saccum, & puluerem sternat? Esa. 58.

Item cap. 30. duas partes poenitentiae facit, id  
est, contritionem quam conuersionem uocat, id est,

resipiscentiam, & fidem uel fiduciam, **תְּשׁוּבָה**  
**בְּשׁוּבָה וּבְיִתָּה** Id est, in conuersione & fide ser-  
uabimini sic enim Propheta sua uerba interpreta-  
tur, cum addit, **בְּהַשְׁקֵט וּבְבִטְחָה** hoc est, ac-  
quiescendo, & desinendo quærere inconcessa  
præsidia ab Aegyptijs, & confidendo promissioni  
auxilij à Deo erit robur uestrum.

Ad hunc modum cap. 1. Auferte malitiam stu-  
diorum uestrorum à conspectu oculorum meorum,  
desinite male facere, & nocere alijs, & discite be-  
nefacere, Tum si peccata uestrae fuerint ut coccus,  
niuis instar dealbabuntur.

Apud Ezechielem requirit auersionem à pec-  
cato, Et conuersionem, ac renouationem, in con-  
tritione est auersio à peccato, conuersio autem est  
per fidem, Renouatio per Spiritum sanctum, Abij-  
cite à uobis omnes iniquitates uestras, quibus pro-  
uaricati estis, & facite uobis cor nouum, & Spiri-  
tum nouum, Ezech. 18.

In Ioele externa disciplina, & caremonia, in a-  
genda poenitentia damnantur, & uera contritio,  
atq; fides præcipiuntur, Conuertimini inquit ad me  
in toto corde uestro, & scindite corda uestra, &  
non uestimenta uestra, & conuertimini ad Domi-  
num Deum uestrum, quoniam misericors est, pro-  
pensus ad ignoscendum, & multæ bonitatis.

Hic clare requirit ueram cordis conuersionem  
ad De-



ad Deum, Et fiduciam misericordiae, Imò docet hanc conuersionem præcipuè consistere in hac fiducia.

Daniel cum confitetur sua & populi peccata, ait, Non allegamus coram te nostram iusticiam, sed tuam immensam misericordiam, Et addit, Domine audito, ser opem, ne differas propter temetipsum Deus meus, Item, Exaudi nos propter Dominum.

Neq; negari potest, omnes Prophetas in pœnitentia requirere fidem in Christum, cum Petrus clare dicat huic, scilicet Christo, omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum, accepturum in nomine suo illum, quisquis tandem fuerit qui crediderit in ipsum.

Miratur Ruardus, quod dicamus fidem partem pœnitentiæ, sed profecto magis mirandum est, senem Theologum negligisse scripturam Propheeticam, & ab ea prorsus decessisse in doctrina de pœnitentia.

Hactenus autem citavi testimonia ex Prophetis ad probandum contritionem, & fidem requiri in uera pœnitentia, & iustificatione, Nunc addam doctrinam baptistæ Christi, & Apostolorum, de eisdem.

Matth. 3. dicitur, In diebus illis uenit Iohannes baptista, prædicans in heremo & dicens, μετανοείτε, ἡ γῆ γὰρ βασιλεία τῶν οὐρανῶν hoc est conuertimini (Neq; enim dubium est quin Iohannes usus est uerbo quo Propheta **שׁוּבוּ**)

appropinquat enim regnum caelorum, Et sequenti capite, Post hæc coepit Iesus prædicare & dicere, conuertimini, appropinquat enim regnũ caelorum.

Apud Marcum, Christus fidem & contritionem coniungit μετανοείτε, ἢ πισεύετε τῷ εὐαγγελίῳ, id est, conuertimini, & credite Euangelio.

Eadem enim est doctrina Christi, Baptistæ, & Prophetarum de poenitentia, & eius partibus, requirunt enim auersionem animi à peccato, Et improbationem factorum, dictorum, & cogitationum contra legem Dei, atq; detestationem totius corruptionis naturæ, & mortificationem massæ peccati in nobis.

Deinde conuersionem ad Deum sicut Prophetæ, Imò uterq; suam doctrinam ex Prophetis confirmat. Et quidem baptista citat testimonium Esaie, Ego uox clamantis in deserto, parate uiam Domini, Rectas facite semitas eius &c. Addit & præceptum Dei de caelo clamantis in baptismo Christi. Sed qui me misit ad baptizandum, is mihi dixit, super quem uideris spiritum meum descendentem et manentem, is est qui baptizat in spiritu, Et ego uidi spiritum descendentem sicut Columbam, & manentem super eum, Et testificatus sum, quod Christus sit filius Dei, Monstrabat etiam eum turbis, digito indicans, & dicens, Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi, qui credit in filium, habet uitam æternam, qui autem incredulus est Filio, ira Dei manet super eum.

Constat

Constat autem Baptismum Iohannis fuisse Sa-  
cramentum poenitentiae, sicut Paulus ait, Iohannes  
quidem baptizauit Baptismo poenitentiae, docens  
populum, ut crederent in uenturum post ipsum,  
Hoc est, in Christum Iesum. Christus autem com-  
plexus est summam doctrinae Propheticae, in pra-  
cepto de predicanda poenitentia, & remiss. peccat.  
in suo nomine, Haec sunt inquit uerba, quae loquu-  
tus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, oport-  
ere implere omnia, quae scripta sunt in Lege Mo-  
sis, & Prophetis, & Psalmis de me, Sic enim scri-  
ptum est, & sic oportebat Christum pati, & resur-  
gere a mortuis tertio die, Et praedicari in nomine  
suo poenitentiam, & remiss. peccat. in omnes gen-  
tes, initio facto a Hierosolymis, Luc. 24. Petrus  
autem sciscitantibus in die Pentecostes, quid facie-  
mus uiri fratres? Respondit μετανοήσατε, id est,  
conuertimini, & baptizetur unusquisq; uestrum,  
in nomine Iesu Christi, ad remiss. peccat. & acci-  
pietis donum Spiritus sancti.

In concione ad Cornelium, Acto. 10. cap. re-  
petit mandatum Christi, Et praecipit nobis, ut pra-  
dicaremus populo, & testificaremur quod ipse  
constitutus sit, Iudex uiuorum & mortuorum, Et  
addit testimonium omnium Prophetarum de sua  
praedicatione. Huic omnes Prophetae testimonium  
ferunt, quod remiss. peccat. accepturus sit per no-  
men suum, quisquis crediderit in eum.

Hanc etiam esse significationem Baptismi, ut mortificato ueteri homine, per pœnitentiam accipiamus remis. peccat. per fidem in Christum, ipse testatur prioris Epistolæ cap. 3. cuius inquit figura nunc respondens, Baptismus nos quoq; saluos reddit, quo non carnis sordes abluuntur, sed conscientie bonæ ἐπιζώτημα εἰς θεόν per resurrectionem Iesu Christi.

Paulus in sua prima concione ad Antiochenes, principio prædicat pœnitentiam Iudæis, sicut Petrus, Deinde addit de remissione peccatorum per fidem in Christum, Notum igitur sit uobis, quod per hunc uobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, Per hunc enim omnis qui credit, iustificatur.

Quid autem aliud facit duobus prioribus capitibus ad Romanos, quam prædicat pœnitentiam, cum sic tonat ac fulminat, Reuelatur ira Dei aduersus omnem impietatem & iniusticiam hominum, qui ueritatem Dei in iniusticia detinent? Item, an diuitias benignitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod bonitas eius ad μετάνοιαν te adigit? sed secundum duritiam tuam & ἀμενοῦτον cordis, id est, inconuertibilitatem congregas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

In 3 cap. duas partes conuersionis coniungit, & docet opus esse omnibus hominibus contritione,  
uel

uel dolore de peccato & fide, uel fiducia misericordiae promissae propter Christum. Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, Iustificantur autem gratis per illius gratiam & redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem.

In sexto capite docet, duas partes poenitentiae nobis ante oculos in baptismo proponi, & demonstratas in morte & resurrectione Christi, debereque nos perpetuo, & per omnem uitam mortificare peccatum, sicut in baptismo promissimus. Item, resurrexisse nos ad nouam uitam cum Christo per fidem, & debere uiuere in nouitate spiritus, & eius auxilio facta carnis mortificare, Et eum nos ducentem per bona opera quae Deus creauit, ut in ipsis ambularem, & per multas tribulationes sequi ad uitam aeternam.

Iam ostendi ex perpetua doctrina Ecclesiae Propheticae & Apostolicae, quae requiruntur ad ueram poenitentiam & perpetuam iustificationem. Sed addam adhuc horum Epilogum.

Ex his igitur scripturae testimonijs, quae sit simplex doctrina de poenitentia facile intelligi potest. Mose Gen. 6. inducit Deum agentem poenitentiam, & docentem homines quae nam illa sit, & quomodo agenda, Definit enim esse dolorem cordis de opere patrato.

Prima igitur pars poenitentiae est dolor cordis de peccato, sed Hypocritae hunc dolorem in caeremonijs

monijs

monijs luctus publici transtulerunt, ut Exod. 33. dicitur, Audiens autem populus uerbum istud malum, luxerunt, nec ullus ornamentum suum sibi adhibuit, inde sunt ceremoniæ publicæ poenitentia, in cinere, & cilicio, in ieiunio & fletu.

Sed David puerum quem ex Betzaba susceperat, his ceremonijs publici luctus à morte non poterat seruare, & quæritur se hac specie miserè deceptum, nec quicquam proficisse, cum se ad mortem usq; cruciasset, quoniam tacui inquit contabuerunt ossa mea, dum mugirem per totum diem, quoniam noctu, & interdium grauis facta est super me manus tua, & uersus est succus meus in feruoribus aestatis, Peccatum meum tibi notum feci, & iniusticiam meam non abscondi, Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Prima igitur iuxta Davidis doctrinam, poenitentia pars est agnitio peccati, pro sensu iræ Dei sæuientis in poenis & adigentis ad confessionem. Ideo in alio Psalmo uocat eam tribulationem spiritus, & contritionem ac humiliationem cordis, sacrificium inquit Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernes.

Esaias uocat humiliationem & fractionem spiritus, Ad quem respiciam nisi ad eum qui est humili & fracto spiritu, cap. 66.

Ieremias uocat uiscerum contractionem & subuersionem cordis, fletum, gemitum, luctum in la=  
men=

mentationibus cap. 1. Vide Domine quoniam affligor, uiscera mea contracta sunt, & subuersum est cor meum intra me.

Ezechiel uocat auersionem à peccato, Si impius se auerterit ab impietate sua quam fecit ca. 18.

Ioelis 2. uocatur sectio cordis, scindite corda uestra, & non uestimenta uestra.

Baptista & Christus uocant μετανοια, id est, conuersionem mentis.

Paulus uocat mortificationem, cuius partes sunt contractio uiscerum, subuersio, fractio, & sectio cordis, gemitus, suspiria, fletus &c.

Contritio igitur est improbatio & detestatio peccati, & dolor, ac mœsticia cordis de peccato tanta, ut uiscera contrahantur, cor subuertatur, scindatur, frangatur, & sequantur suspiria, gemitus lachrymæ tam uberes, ut Propheta Psal. 6. dixerit, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis, & fletu meo stratum meum faciam natare.

Hinc sunt propositum bonæ uitæ & tollerantia omnium afflictionum, in uita & in morte, per quas Deus iram suam contra peccatum demonstrat & suam iniuriam ulciscitur.

In his enim omnibus requiritur nostra obedientia, ut æquo animo feramus pœnas nobis diuinitus impositas, non fremamus, aut murmuremus aduersus Deum, nec ei irascamus, sed agnoscamus, nos has pœnas temporales non tantum meruisse, sed etiam  
iam

iam eternas & ei gratias agamus, quod filium suum miserit, ut pro nobis suae iusticiae satisfaceret, suam iram placaret, & perferamus poenas nobis impostas ad correctionem, emendationem, & mortificationem peccati etiam cum gaudio, quod sciamus nos castigari, non ut pereamus, sed ut seruemur, ut Paulus ait, Cum autem iudicamur à Domino corripiamur, ne cum hoc mundo damnemur. Et Petrus inquit, Iudicium incipere à domo Dei. Et in Epistola ad Hebræos dicitur, Flagellat autem omnem filium quem recipit.

Hæc patientia & uoluntaria obedientia inter afflictiones, efficit ut nostra contritio sit sacrificium Deo gratum & acceptum, ut Psalmus inquit, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum Deus non spernes. Et Paulus obtestatur pios, ut sua corpora sistant hostiam uiuam, sanctam & acceptam Deo &c. Et nolite inquit, conformari huic sæculo, sed renouamini spiritu mentis uestræ, Et deponite omnem iram, indignationem, malitiam &c.

Pertinet igitur ad contritionem, non tantum dolor momentaneus, aut certo tempore continuatus ut rixantur scholastici de peccato, sed perpetua, & per omnem uitam mortificatio illius, per patientiam poenarum diuinitus impositarum, & susceptarum à nobis iuxta uoluntatem & mandatum suum, hoc est perpetuum certamen aduersus peccatum, et repressio cupiditatum prauarum, & mortificatio illarum.

Item,



Item, studium benè operandi, Et diligentia in præstandis officijs diuinitus præceptis.

Ideo Prophetæ in doctrina de pœnitentia duo præcipiunt, ut desinamus malè facere, & discamus benè agere, Esaia primo. Et 58. Nolite inquit, ieiunare sicut adhuc usq; diem, sed dissolue nodos impietatis, Emitte captiuos liberos, Frange esurienti panem tuum &c. Et Baptista iubet à se baptizatos, facere dignos fructus pœnitentiæ.

Et in hanc sententiam sancti Patres docent, quòd pœnitentia sit cessare à peccato, ut Ambrosius ad Cyprianum ait, Et in sermone de quadagesima inquit, Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Et Augustinus in libro de uera pœnitentia sic eam definit, Pœnitentia est uindicta semper puniens in se quòd dolet commisisse. Quid enim restat nobis nisi dolere in uita, ubi enim finitur dolor, deficit pœnitentia, si uerò pœnitentia finitur, quid relinquitur de uenia?

Ex his intelligi potest quid Prophetis, Apostolis, & sanctis Patribus significant, pœnitentia, contritio & mortificatio, Et quæ contineant, scilicet non tantum momentaneum dolorem, sed perpetuam mortificationem peccati. Neq; solum propositum bonæ uitæ, sed studium, & conatum, & diligentiam, & assiduitatem benè operandi, & præstandæ obedientiæ Deo in operibus ab eo præceptis.

De

De altera parte poenitentiae, id est, fide accipiente remiss. peccat. Filius Dei in prima concione de poenitentia docuit Adam & Euam, ac iussit eos statuere uenturum esse semen mulieris quod caput serpentis, id est, diadema, & regnum eius conteret. Et eos una cum Abele, Seth, Enos, & alijs patribus & Patriarchis testatos suam fidem de hac promissione immolatione agni. Ideoq; Christum dici agnum illum occisum ab origine mundi. Et Esaiam assimilare eum agno qui ad uictimam ducitur, Et Baptistam uocare eum agnum Dei qui tollit peccata mundi.

Deum etiam Dei filium testatum fuisse, placere sibi illos, opera ac sacrificia eorum qui hac fide inuocarent ipsum, & quasi manu de caelo protensa, absoluisse a peccato, cum caelesti igne, uictimas absumeret.

Hanc etiam fidem, discernere inter contritionem Cain & Abel, Iacob & Esau, Dauid, Achitophel, Petri, & Iudae, quod alter statueret se consequuturum remiss. peccat. gratis propter Christum, alter sine hac fide desperaret.

Fides igitur, id est, fiducia misericordiae promissae propter Christum, discernit ueram poenitentiam a falsa, non fides illa daemonum, impiorum & Hypocrytarum, quae statuit Deum esse, & dare praemia bonis, & punire malos. Nam haec fides, Cain Iudam, & Saulem adegit ad desperationem.

Hæc

Hæc enim sola fides, in iudicio Dei consistere facit hominem, & expectare misericordiam in media morte, sicut Propheta ait, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? A uigilia matutina usq; ad uigiliam matutinam speret Israel in Domino, quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et Petrus ait omnes Prophetas hoc testari quod fide in Christum accipiamus remiss. peccat. Et Christus præcepit prædicari pœnitentiam & remiss. peccat. in nomine suo.

Vna est igitur uera piorum omnium pœnitentia, quæ constat continua contritione, & dolore quotidiano pro innumeris lapsibus, & perpetua mortificatione peccati, ne regnet in nobis, & dominetur quasi seruis quos pro tyrannide adigat, ad opera carnis, & manifesta flagitia, Per quæ offendamus Ecclesiam, & mereamur separari à communionem fidelium. Deinde uiuificatione fidei accipientis condonationem quotidianorum lapsuum, & multiplicium delictorum renouata & crescente, subinde magis atq; magis nouitate spiritus, donec recuperemus perfectam imaginem Dei, in consummata iusticia & sapientia spirituali.

Sed quia securis, & oscitantibus hostis non desinit insidiari, & multos redigit in seruitutem peccati, adactos ad manifestam turpitudinem pro-

d                      pter

pter quam merentur abijci extra Ecclesiam, Reliqua est adhuc altera poenitentia quam publicam, & secundam tabulam post naufragium uocant.

Hanc diximus etiam ante legem institutam esse, Et Deum notas & signa reatus inflixisse Cain, & Lamech homicidis, Et Noe, atq; Iacob praescripsisse poenas suis filijs Cham, Ruben, Simeoni, & Leui. Postea Moysen mandato Dei pro singulis criminibus imposuisse singulas satisfactiones, Et dixisse Deum ulturum se de populo propter adorationem uituli, postremis temporibus Nathan comminatur Dauidi, tristes poenas propter adulterium, & homicidium, Propheta Gad optionem ei permisit de tribus extremis malis.

De hac secunda, & publica poenitentia contionatur Christus apud Matthaeum, cap. 18. Et extat huius poenitentiae, id est, excommunicationis & reconciliationis Exemplum in Epistola ad Corinthios, &c.

Tertulianus in libro de poenitentia ad hunc modum duplicem facit poenitentiam, unam quam Dominus iussit praere baptismum, Et de hac ait contionatum baptistam, & Christum, Et de ista apud Ezechielem dictum esse, uiuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur, & uiuat.

Idem probat ex hoc dicto, fidem in poenitentia requiri, Inuitat inquit praemio ad salutem iurans etiam, Viuo dicens, cupit sibi credi. O Beatos inquit,

quit, quorum causa Deus iurat, O miserrimos si  
nec iurandi credimus. Quod igitur Deus tantope=  
re commendat, quod etiam humano more, sub de=  
iuratione testatur, summa utiq; grauitate, & ag=  
gredi, & custodire debemus, Hæc Tertulianus.

Alteram ponit pœnitentiam quam secundam  
uocat, piget me inquit secundæ, imò ultimæ iam  
subtexere mentionem, ne retractantes de residuo  
auxilio pœnitendi, spaciū adhuc delinquendi de=  
monstrare uideamur.

Verum inquit, non statim obruendus est ani=  
mus desperatione, si secundæ pœnitentiæ debitor  
quis fuerit.

In hac requirit confessionem delicti non tantum  
quæ fit Sacerdotibus, sed quæ fit coram tota Ec=  
clesia.

Plerumq; inquit oportet ieiunijs preces ale=  
re, ingemiscere, lachrymari, mugire dies & noctes  
ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, &  
aris Dei ad geniculari omnibus fratribus legatio=  
nes deprecationis suæ iniungere.

Hæc de publica pœnitentia dici manifestum  
est, quæ diu post Tertulianum iuxta institutionem  
Christi, & Apostolorum durauit in Ecclesia, Nam  
Tertulianus floruit sub seверо pertinace, & An=  
thonio Caracala, circiter centesimum sexagesi=  
mum annum post passionem Domini.

Hæc forma publicæ pœnitentiæ primo mutata  
fuit postquam Nouatiani defecissent ab Ecclesia, ut

testatur Socrates libro quinto, cap. 19. ut infra  
dicetur in articulo de confessione.

Supra autem demonstrauius, omnia quæ ci-  
tantur ex patrib. Cypriano, Origene, Hieronymo,  
Leone, Ambrosio, Augustino, & Chrysostomo, ad  
probandam confessionem quæ fit Sacerdoti, & sa-  
tisfactionem ab eo impositam esse partes pœniten-  
tiæ intelligenda esse de publica pœnitentia.

Quæ autem dicuntur à patribus de quotidiana  
pœnitentia, nihil pertinent ad Sacramentum pœ-  
nitentiæ, ut necesse est fateri.

Præter has autem tres species pœnitentiæ, id  
est, quæ baptismum præcedit, Et publicam illam  
de manifestis peccatis, Et perpetuam ac quotidia-  
nam de occultis Ecclesia Christi tempore Ambro-  
sij & Augustini, nihil nouit, sicut manifestum est ex  
sententia Ambrosij, quam supra citauimus, Nam sicut  
unum baptisma, ita una pœnitentia quæ tamen  
publicè agitur, Nam quotidiani nos debet pœnite-  
re peccati, sed hæc delictorum leuiorum, Illa uero  
grauiorum, Et ex Augustini dicto quod citatur de  
pœnitentia, dist. 1. Tres autem, inquit ad Felicia-  
num, sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum erudi-  
tio uestra recognoscit, una est quæ nouum homi-  
nem parturit, donec per Baptismum omnium præ-  
teritorum fiat ablutio peccatorum, quia nullus  
sue uoluntatis arbiter, nisi pœniteat eum ueteris  
uitæ, nouam inchoare potest, à qua peruuli sunt  
immunes cum baptizantur, quia nondum possunt  
uti

uti libero arbitrio, quib. tamen ad remissionem originalis peccati, prodest eorum fides, à quibus offeruntur.

Altera est actio poenitentiae post Baptismum, Agunt enim homines poenitentiam post baptismum si ita peccauerunt, ut excommunicari mereantur.

Est etiam poenitentia bonorum & humilium fidelium, poena quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes. Dimitte nobis debita nostra. Neque ea nobis dimitti uolumus, quae dimissa nobis non dubitamus, sed illa quae humanae fragilitati, quamuis parua, tamen crebra surrepunt quae si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an uno grandi fluctu, nauis operiatur, & obruatur? an paulatim subrumpens aqua in sentinam per negligentium culpam, impleat nauem, & submergatur? Ideo ieiunium, & Eleemosynae, & orationes inuigilent, in quibus cum dicimus dimitte nobis debita nostra, &c. Manifestamus nos habere quod nobis dimittatur, & in his uerbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere poenitentiam non cessamus.

Harum trium actionum poenitentiae mediam tantum pertinere ad Sacramentum poenitentiae manifestum est, Et illa tantum peccata confitenda Sacerdoti, quae merentur excommunicationem, Et pro his solum imponendas esse canonicas satisfactiones.

DECLARATIONIS  
QUARTI ARTICVLI,  
in quo dicitur,

CONTRITIO est dolor de peccato susceptus propter offensam Dei, cum proposito confitendi, & satisfaciendi, (non autem ut quidam pernitiosè hoc sæculo docent) terror propter apprehensum gehennæ supplicium.

L I M A.

Etsi in superiori articulo de tribus partibus poenitentiae in genere iuxta scholasticam doctrinam dictum sit. Breuiter tamen recitabo sententiariorum sententias de contritione, Et conferam cum doctrina Prophetica & Apostolica, ut opposita iuxta se posita sint illustriora.

Doctor Subtilis ait, hominem cum attritione, id est, dolore de peccato propter metum poenae, uirtute sacramenti consequi remis. peccat. si non ponat obicem, per propositum peccati mortalis.

Si addidisset cum fide, id est, fiducia promissionis Euangelij de gratuita remis. pec. idem docuisset cum Lutheranis. Sed ratio quam addit plane pharisaica est, quod alioqui sequeretur sacramenta nouae legis, requirere dispositionem in suscipiente, sicut caeremonias Moysi, & non conferre gratiam ex opere operato.

Idem docet, hominem cum generali Dei auxilio, & ex puris naturalibus posse intelligere unum esse

esse



esse conditorem omnium rerum, & hunc tanquam summum bonum apprehendere, & eum super omnia diligere, & ex hoc amore detestari peccatum tanquam Dei offensivum, et hanc detestationem esse contritionem & sufficientem ad gratiam dispositionem & immediatam, ac meritum de congruo, propter quod Deus necessario infundit gratiam, et si non necessitate coactionis, tamen necessitate inevitabilitatis, quia statuit nunquam deesse homini facienti quod in se est.

Ex hac doctrina sequuntur ista absurda, Primo, quod propter contritionem sine fide consequamur remis. peccat. Deinde quod ad deletionem peccati, sola detestatio sufficiat. Præterea quod per bona opera ante fidem facta, mereamur gratiam ex divina promissione.

Insuper quod ex viribus natura possumus diligere Deum super omnia, & implere legem, quod quid aliud est dicere quam docuit Pelagius?

Thomas, & qui eum sequuntur, docent duplicem esse attritionem, unam quæ oritur ex timore pœnæ, & hanc inutilem esse. Aliam quæ oritur ex timore Dei, sed non est satis intensa, & hanc per se non sufficere ad deletionem peccati, sed tamen cum illa, accedente sacramento hominem consequi R. P. quod sacramentis novæ legis insit virtus supernaturalis, producendi gratiam in animis. Ad contritionem autem requiri quod sit ex motu liberi arbitrij, qui est fide, & quod peccator doleat de pec-

cato propter dilectionem Dei super omnia, & propter eius offensam. Hanc autem contritionem si sit satis intensa, per se delere peccatum, sine sacramento.

Si hi acciperent fidem pro fiducia misericordiae, magis accederent ad Lutheranos quam alij, Nam illi etiam etsi docent terrores pro metu irae Dei, esse contritionem, tamen negant hanc sine fide sufficere ad remis. peccat. Et Lutherani tantum à Thomianis distant, quòd discernunt contritionem à fide, & fidem intelligunt de fiducia gratuita misericordiae, & hi fidem in contritione complectantur, & intelligunt fidem in genere assentionem de omnibus à Deo reuelatis, & contentus in Canone Bibliae. Guielmo Ockam, Gabrieli Biel, & illis qui uocantur nominales uel moderni, neutra opinio probatur. Displicet eis, quod D. Subtilis ait, attritionem metu poenae, cum sacramento delere peccatum, Et uident conscientias adigi ad desperationem, si dicatur requiri ad remis. peccat. quod contritio sit satis intensa, ut Thomas affirmat.

Sic igitur contra utramq; opinionem argumentantur, Dolor imperfectus ille, aut est de aliquibus peccatis, & non de omnibus, aut de omnibus, sed non cum proposito abstinendi, & utroq; modo est peccatum mortale, Si autem est de omnibus peccatis, cum proposito abstinendi, sed non propter offensam Dei, uerum solo metu poenarum, sic neq; est dispositio ad gratiam, neq; actus moraliter bonus,  
quia

quia deest præcipua circumstantia finis, & est usus Dei, & fruitio creaturæ. Si autem est propter Deum, sed non est satis intensus, hoc nihil impedit, quo minus dicatur contritio, & sufficiens dispositio ad gratiam, quia intensio, & remissio non mutant genus aut speciem qualitatis, nec faciunt de uirtute uirtutem, aut contra, ideo non mutant attritionem, in contritionem, modo assunt, omnes circumstantiæ, & præsertim illa præcipua finis, quod doleat propter offensam Dei, & Deum super omnia dilectum.

li docent ad contritionem, & dispositionem ad gratiam, & deletionem peccati, requiri auxilium Dei speciale, & fidem uel motum liberi arbitrij, ex fide sicut secunda opinio.

Sed cum tantum requirunt fidem quæ est in hypocritis, & non fiduciam promissionis Euangelij, & docent hominem per hanc fidem posse diligere deum, et mereri gratiam de congruo, parum absunt à sententia Doctoris Subtilis, & Pelagij.

Ruardus uidet eos recte reprehendere Thomam qui docet ad remiss. peccato. requiri, ut contritio sit satis intensa: Ideo ait suos Louanienses in hoc articulo utranq; attritionem, scilicet illam quæ non est satis intensa, & quæ est ex metu pœnæ complecti. Et tamen damnat eos qui affirmant terrorem propter metum iræ dei, & æternæ damnationis esse contritionem. Et addit hanc rationem quod hic metus sit tristitia secundum sæculum, sed non secundum Deum.

d s

Quis

Quis ais Ruarde? metus iræ dei & æternæ mortis est tristitia secundum sæculum & non secundum Deum? Ita inquires. Cur igitur dixisti tuos Louanienses hunc metum nomine contritionis complecti, et peccatorem cum hoc metu, uirtute sacramenti ex opere operato consequi remiss. peccat. Et quicquid deficit ex parte pœnitentis suppleri à sacramento? Vis ne damnare tuos Louanienses, imò teipsum qui hæc scripsisti in declaratione huius articuli de contritione? Et qua fronte audes affirmare, metum iræ Dei & æternæ mortis esse tristitiam secundum sæculum, & non secundum Deum, cum ante dixeris, attritionem metu pœnæ, Dei donum esse, & probaueris ex dicto Pauli, Non accepistis spiritum seruitutis iterdū ad timorem? Et quicquid tu dicas, certè Longobardus hoc probat ex dicto Prophetæ, domine à timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.

Bonauentura diserte quærit, cur pœnitentia uirtus timore pœnæ concipitur, magis quam ex amore? Et respondit quia peccator non habet amorem Dei, sed sui ipsius. Et iste amor sui ipsius nunquam generat pœnitentiam nisi quia timet. Eodem loco diserte docet ex cognitione iusticiæ Dei, gigni timorem, Et ex noticia misericordiæ Dei concipi spem, & utrumq; horum necessarium esse ad rem. peccat. q. 2. d. 14. lib. 4.

Hæc doctrina proxime accedit ad contiones prophetarum de contritione, Et ad experientiam sancto=

sanctorum, ut ex subiectis exemplis, & testimonijs intelligi potest, Adam post peccatum interrogatus à filio Dei, ubi es? Respondit, Vocem tuam Domine audiui & timui, eo quod nudus essem, Gen. 3. Moyse quaeritur omnes homines, metu iræ Dei mori, Psal. 90. Etenim in ira tua defecimus, &c.

Iob deprecatur mortem, & inferos, usq; quo non parcis mihi, nec permittis, ut plangum paululum dolorem meum antequam uadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine? David etiam sensum iræ Dei deprecatur, Domine in ne ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. Et cum addit quia sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, non est sanitas in carne mea à facie peccatorum meorum, grauius de sensu iræ Dei quaeritur quam Adam, qui dicit se metuere quod nudus esset, & querelam Adæ pro toto genere humano exponit. Nathan & Gad, incipiunt concionari Dauidi de pœnitentia à timore pœnarum, Tu es inquit Nathan, ille filius mortis, Et Gad facit ei optionem ut eligat horum trium quod uelit, gladium, famem, aut pestem.

Quomodo Esaias potuit perterrefacere populum magis quam aßimulando Sodomæ & Gomorrhæ? Sic autem incipit prædicare pœnitentiam sicut Christus in Euangelio, Væ tibi Corazin, Væ tibi Bethzaida, Et tu Capernaum, quæ ad cœlum es exaltata, ad inferos usq; detraheris, quoniam si in Sodomis æditæ fuissent uirtutes, quæ æditæ sunt in te, mansissent usq; in hodiernum diem.

Hieremias cum inquit, cap. 1. Afflictio tua te erudiet, & auersiones tuæ te arguent, Item, quomodo erubescit fur cum deprehenditur, sic pudefiet domus Israelis, An non docet metu iræ die, & pœnarum sensu, homines adigi ad pœnitentiam?

Quid Iosaphat conclusus in curru à militibus Regis Syriæ, an ex dilectione Dei super omnia, an ex metu præsentis mortis pœnitet de contemptu uaticinij Micheæ, & quod se impio Regi Achab adiunxerit?

Quid Ezechias cum sic misere quæritur, quasi Leo sic contriuit omnia ossa mea? An Niniuite ad prædicationem Ionæ, adhuc quadraginta dies, & Niniuæ subuertetur, pœnitentiam agunt, & dilectione Dei super omnia, an ex metu pœnarum?

Et Propheta ipse in uentre cæti, an non quæritur de sensu iræ Dei, & doloribus inferni? Baptista cum inquit progenies uiperarum quis uobis monstrauit ut fugeretis à uentura ira, an non incutit metum iræ Dei, & ex illo hortatur, ut Pharisæi dignos fructus pœnitentiæ faciant?

Nonne Christus cum inquit, nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis, metu pœnarum, inuitat omnes ad pœnitentiam?

Si pœnitentia non est ex metu iræ Dei, cur Paulus sit fulminat, Reuelatur ira Dei aduersus impietatem, & iniusticiam omnium hominum, Item, secundum duritiem tuam & cur impœnitens The=

sauri=

*Saurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei?*

*Si interrogemus Paulum, quis est usus doctrinæ legis in conscientia? Respondet, Lex iram operatur, sed Ruardus ait, eam monstrare æternam Dei misericordiam pœnitentibus, & quod pro ipsis redimendis filium donauerit.*

*Hoc si uerum est, quid docet Euangelium? quod est discrimen Legis & Euangelij? Illa ne quod Euangelica Lex requirit maiorem perfectionem quam Decalogus & doctrina Moysis?*

*Cur igitur Paulus ait Moysis ministerium, & Legis doctrinam esse ministerium mortis, Et doctrinam Euangelij esse ministerium uitæ?*

*Tu ipse Ruarde fateris pœnitentiam, metu pœnæ esse effectum Legis, & probas ex eo quod Paulus ait, non accepistis Spiritum seruitutis, Iterum ad timorem, sed quid sequitur? Accepistis inquit, Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba pater.*

*Ex qua igitur doctrina Ruarde hunc Spiritum accipimus? Hanc questionem Paulus tibi proponit scribens ad Galatas, Vtrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei?*

*Constat Paulum, doctrinam legis à predicatione Euangelij disertè, & perspicuè distinxisse. Et uocare doctrinam legis ministerium mortis, ministerium condemnationis, quod lex iram operetur, monstret peccatum, & nos reos agat propter illud in iudicio*

*dicio*

dicio Dei, & condemnet ad eternam mortem, nisi liberemur gratis per misericordiam.

Item quod Lex nobis propter infirmitatem carnis, Id est corruptionem naturæ sit impossibilis, & summa sapientia naturæ corruptæ, sit inimicitia aduersus Deum, propterea quod Legi Dei non sit subiecta, ac ne quidem ei obedire potest.

Deinde Euangelium docere, quod Deus miserit filium suum in similitudinem carnis peccati, ut per uictimam sui corporis liberaret nos a tyrannide Diaboli, mereretur remiss. peccat. & donationem spiritus sancti.

Hoc igitur est præcipuum discrimen doctrinæ Legis & Euangelij, Doctrina Legis incutit animis metum iræ Dei, & eternæ mortis, Estq; hic metus ipsissima contritio, ac ruerent homines in eternam desperationem nisi accederet doctrina Euangelij.

Doctrina igitur Euangelij annunciat ijs qui sunt perterrefacti prædicatione Legis, gratuitam remiss. peccat. propter fidem in Christum, Ideo in doctrina de Pœnitentia, ad contritionem adiungi debet fides, qua uiuificantur animæ, & liberantur ab eterna morte in quam ruerent per contritionem sicut Cain & Iudas, nisi audita prædicatione Euangelij, se per fiduciam gratuite misericordiæ, sustentarent, & consolarentur.

Hanc doctrinam de pœnitentia, & de discrimine Legis & Euangelij, qui conatur obscurare,  
contu



contumeliosus est in Deum ingratiſſimus erga Chri-  
ſtum, ac blaſphemiae in Spiritum ſanctum reus, quia  
is per miniſterium Euangelij eſt efficax in mentibus  
ad eas renouandas, & uiuificandas, & ideo dicitur  
Spiritus adoptionis, quia clamat in cordibus noſtris  
Abba pater.

## DECLARATIONIS QVINTI ARTICVLI, in quo dicitur,

**C**onfeſſurus diligentiam legitimam adhibere  
debet, quo ſacerdoti ſuo iudici, omnia ſua pec-  
cata mortalia, etiam occulta cordis manifeſtet, ut  
ab eis per eum abſoluatur, Cuius abſolutionis mini-  
ſter eſt ſolus Sacerdos iuxta Eccleſiae ritum con-  
ſecratus.

Duo ſunt dogmata in hoc Articulo, quae ex  
detortis quibusdam ſcripturae ſententijs, & muti-  
latis patrum testimonijs confirmare conatur, ſcili-  
cet enumeratio omnium peccatorum, & nullum  
poſſe miniſtrare Sacramenta, qui non ſit ab Episco-  
pis ordinatus, Ideo ad argumenta confirmationis  
breuiter reſpondebo, Deinde quomodo Eccleſia de  
his docenda ſit perſpicue dicam.

Non improbo confeſſionem publicam quae ſit  
in facie Eccleſiae, neq; priuatam, ac ne quidem enu-  
merationem ſi quis putet hanc ſibi profuturam, Sed  
confeſſionem auricularem, & enumerationem om-  
nium mortalium eſſe iuris diuini, & inſtitutam  
per

per Christum, nec sententiarum hactenus demonstra-  
re potuerunt, & Canonistæ negant, Et nos paulò  
ante falsum ostendimus & adhuc clarius & copio-  
sius ostendemus, Nunc tantum absurditatem dog-  
matis unica tantum ratione declarabo.

Si enim remissio peccatorum penderet ex con-  
ditione enumerationis, nemo possit statuere se ha-  
bere remiss. peccat. quia semper dubitaret, utrum  
fecisset satis magnam diligentiam ad ea enumeran-  
da, & utrum omnia peccata mortalia cum singulis  
circumstantijs enumerasset, id quod ingenuè con-  
fessi sunt, qui erant inter Monachos etiam corda-  
tiores, & experientia publica id cogit fateri.

Sed Ruardus sic argumentatur Sacramentum  
pœnitentiæ est iudiciale, Vel Sacerdos in eo est Iu-  
dex, Sed iudex non potest pronunciare, nisi cogni-  
ta causa, igitur cognitio est necessaria. Probat ma-  
iorem quia ligare & soluere pertinent ad officium  
iudicis, Christus autem tribuit Ecclesiæ potestatem  
ligandi, & soluendi. Igitur

Respondeo simpliciter, & nego maiorem  
prioris syllogismi Sacramentum pœnitentiæ esse  
iudiciale. Etsi enim Ecclesiæ habeat iudicia pu-  
blica, & de manifestis peccatis potestatem pronun-  
ciandi & faciendi omnia quæ in alijs iudicijs fiunt  
citra vim coercitiuam, tamen hæc nihil ad forum  
conscientiæ, & priuatam confessionem, in qua sine  
processu aliquo iudiciario, aut coactione confitens  
petit Absolutionem, pertinent. Sacerdos enim, ut  
Ambro=

Ambrosius ait, minister quidem officiū exhibet, sed nullius potestatis iura exercet, quare cum quis confitetur se esse peccatorem, et sese accusat de transgressione totius legis Dei, & omnium præceptorum Decalogi in genere, Sacerdos non potest eum cogere ad enumerationem in specie, uel in individuo, nisi esset ante accusatus coram Ecclesia, uel ex fama publica constaret eum obnoxium manifestæ turpitudini.

Ad probationem igitur, ligare & soluere pertinent ad officium iudicis, sed Christus dat Ecclesie potestatem ligandi & soluendi, Igitur tribuit ei potestatem iudicariam concedo totum syllogismum, sed hoc iudicium pertinet ad forum publicum, & publicam pœnitentiam, non pertinet ad spontaneam confessionem, illamq; occultam in qua petitur beneficium absolutionis propter confirmationem fidei & consolationem conscientie.

Ad alterum argumentum Ruardi, non potest remitti unum peccatum sine alio, quia impium est dimidiam à Deo sperare ueniam, ut Aug: ait, Igitur necesse est de omnibus confiteri. Respondeo sine ulla sophistica, Et concedo totum argumentum, quod necesse sit de omnibus confiteri, saltem in genere etiam occultis, sed ex illo non sequitur, quod enumeratio in individuo, & cum singulis circumstantijs sit necessaria.

Sed Ruardus sic argumentatur, Christus ait, Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, Et quorum retinueritis, retenta sunt, Sed hoc nõ potest  
c pro ar=

pro arbitrio, sed necesse est exacte iudicare, quæ peccata remittenda sunt, quæ retinenda. Non potest autem iudicare, nisi peccator se totum ei aperiat. Igitur

Respondeo breuiter, argumentum niti doctrinæ de casibus reseruatis, Romano pontifici, & Episcopis, qui pertinent ad iudicium Ecclesiasticum, hæc peccata si non sunt notoria, nec confitens est in ius uocatus, aut excommunicatus, non pertinet ad cognitionem Sacerdotis, sed debet is confitentem simpliciter absolueret.

Ad formam igitur argumenti Sacerdos habet potestatem retinendi peccata quædam. Simpliciter hanc nego, si confitens promittit emendationem, & obedientiam erga Ecclesiam, Nam in confessione non exercetur iudicium, nec Sacerdos est iudex, sed minister alieni beneficii, ut supra ex Ambrosio probatum est, nec potestas eius est tyrannica, ut pro arbitrio absolueret possit, quos uelit, & alijs negare absolutionem, ut mox declarabo, ex Hieronymo.

Sed Ruardus diffusus testimonijs scripturæ citat authoritatem patrum Dionysius inquit, Arcopagita obiurgat Demophilum, quod calce repulerit uolentem confiteri. Respondeo quid hoc ad enumerationem facit? Quis nunc non reprehenderet hanc in ministro crudelitatem si uolentem confiteri calce repelleret. Sed inde non sequitur aliud quam ut huius Dionysij tempore fuerit auricularis  
con=

confessio, quare manifestum est hunc non esse Areo-  
pagitam illum discipulum Pauli, sed aut Corinthi-  
um illum, aut Alexandrinum Dionysium, quibus ui-  
uentibus instituta fuit auricularis confessio, ut testa-  
tur Socrates, cum ait, Ab illo tempore quo Noua-  
tiani ab Ecclesia discesserant, Propterea quod cum  
illis, qui sub persecutione Decij prolapsi fuerant,  
communicare nollent, Episcopi presbyterum pœni-  
tentibus præfecerunt, mandantes ut qui post Bapti-  
smum lapsi fuissent, sua coram illo peccata confite-  
rentur.

Inde enim mandatum est, ut nemo admitteretur  
ad communionem qui à fide lapsus fuisset, nisi ante  
confiteretur sacerdoti, hanc constitutionem uehe-  
menter urget Cyprianus in sermone de lapsis, &  
hortatur eos qui metu mortis non sunt confessi pa-  
lâm Christum in persecutione seuisima sub Detio,  
confiteantur se cogitatione à fide lapsos esse, Et ex  
eo Ruardus probat enumerationem occultorum pec-  
catorum. Sed si adscripsisset integram locum facile  
cõspecta fuisset impostura. sequitur autem, Christus  
inquit, qui confunditur me confiteri coram homini-  
bus, confundet eum filius hominis, Item Christianum  
se putabit qui Christianus esse aut confunditur, aut  
ueretur?

Hic manifestum est, Cyprianum loqui non de qui-  
buslibet peccatis, sed de erubescencia nominis Chri-  
sti, et simulatione impia cum scandalo Ecclesiæ, Non  
est autem occultum peccatum, quo tota Ecclesia of-

fenditur, & omnes ad imitationem simulationis imitantur, quare manifestum est illa quæ ex Cypriano citat, nihil facere ad enumerationem occultorum peccatorum, quibus Ecclesia non offenditur.

Dictum Origenis, quod citat, tantum circumspice cui debeas confiteri, est declamatio contra Novatianos, & exhortatio eorum, qui lapsi sunt à fide tempore persecutionis, & metu pœnarum non sunt confessi Christum, ad confessionem huius criminis, Verba Origenis sunt eadem homelia ex qua Ruardus sua argumenta citat hoc est 2. super Psal. 37. Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Sit ergò aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi, procedat in medium, & ipse sui excusator existat, Hi autem qui cū infirmantibus non infirmantur, cum scandalizatis non uruntur, cum lapsis non iacent, sed dicunt longe te fac à me, neq; accedas ad me quoniam nudus sum, & detestari incipiunt, quem ante admirabantur, & ab amicitia eius recedunt, qui delictum suum noluit occultare & hic uerum est, quod dicitur in uersu amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt & c. hic manifestum est, Origenem loqui de lapsis à fide qui propter seueritatem Novatianorum erubescabant publicè confiteri, Hos iubet eligere idoneos confessores.

Venio igitur ad dictum Hieronymi quod citat, & totum locum adscribam, ut intelligi possit, quantum ille offensus sit superbia sacerdotum, & Episcoporum

porum

porum qui gloriabantur, in eorum potestate post-  
tum, ut ligarent & soluerent quos uellent. Verba  
eius sunt in Matth. capit. 16. Et tibi dabo claues  
regni cœlorum. Istum locum Episcopi, & præby-  
teri, non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum  
supercilio assumunt, ut uel damnent innocentes, uel  
soluere se noxios ambitrentur, cum apud Deum,  
non sententia sacerdotum, sed reorum uita quæra-  
tur, legimus in Leuitico de leprosis, ubi iubentur  
ostendere se Sacerdotibus, etsi lepram habuerint,  
tunc à sacerdotibus leprosi iudicentur, non quod sa-  
cerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quod  
habeant noticiam lepræ & possunt discernere, qui  
mundus qui immundus sit.

Quomodo igitur sacerdos, mundum, uel im-  
mundum facit, sic & hic alligat, uel soluit Episco-  
pus, & præbyter, non eos qui insontes sunt, uel no-  
xij, sed pro officio suo, cum peccatorum audiens ua-  
rietates, scit qui ligandus sit, quiue soluendus.

Hic Hieronymus non plus tribuit sacerdotibus,  
quam Leuitis, Vnde igitur ista retentio peccatorum  
de qua supra gloriabatur Ruwardus? Vbi reserua-  
tio casuum, ubi lex de enumeratione peccatorum,  
cum suis circumstantijs? sacerdotes in lege tantum  
de lepra quæ erat manifesta iudicabant, Et dicebant  
sententiam quando dubium oriebatur, utrum lepra  
esset an non, ex quo nihil aliud sequitur, quam ma-  
nifesta crimina esse confitenda, & petendum à sa-  
cerdote consilium cum dubitatur de facto aliquo an

fit peccatum & eius iudicio acquiescendum esse.

Postremò citat Ruardus dictum Augustini libro 2. de uisitatione infirmorum, Sunt quidam qui sufficere sibi existimant, si soli Deo confiteantur, Nolunt enim aut erubescunt, seu dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram & non lepram, discernere, per legislatorem constituit dominus &c.

Respondeo omnia illa quæ istic dicuntur & sequuntur, in seq. cap. ubi negat generalem confessionem qua quisq; se accusat in genere, de peccatis sufficere, & requirit specialem quorundam cum circumstantijs confessionem intelligenda esse, de manifestis criminibus sicut ipse docet cum addit, Non te pudeat uni dicere, quod te non puduit, coram multis, & forsàn cum multis facere, Nam humanum est peccare, Christianum à peccato desistere, diabolicum est perseuerare. Ergò quæ mentem grauius exacerbant facinora Dei angelo manifesta, nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circuitiõibus quod uerum est operiens.

Hic iubet Augustinus grauiora facinora, quæ grauant, & sauciant conscientiam, & quorum alij conscij sunt & quibus aliqui sunt offensi, confiteri, nec aliud docent Lutherani, etiamsi negent necessariam esse enumerationem omnium occultorum. Sed iam addenda est forma doctrinæ simplex, & uera de confessione.

Sim=



# SIMPLEX FORMA DO-

ctrinae de confessione.

**C**um homo defecisset à Deo, nec sciret qua uia  
 esset redeundum, admonitus est à filio Dei, ut  
 ex agnitione propriae miseriae, & sensu irae Dei  
 contra peccatum, culpam fateretur, Interrogat  
 enim eum, & dicit, Adam ubi es, & ex nomine indi-  
 to à rubicunda terra admonet hominem suae con-  
 ditionis q. d. Tu ne es ille quem ego ex limo terrae  
 plasmaui, & indidi ei spiraculum uitae, feci q; ut ani-  
 mans unum esset, neq; id solum, sed feci ad imagi-  
 nem Dei, impressi q; menti tuae diuinam, & spiritu-  
 alem sapientiam, atq; iustitiam ut gubernares uni-  
 uersam creaturam corporalem feci q; dominum om-  
 nium qui mouentur super terram & sub caelo in  
 aere, atq; in aquis, Vbi nunc es? q. d. ad quantam  
 turpitudinem miseriam & insaniam, ab ingenti di-  
 gnitate, iustitia & sapientia dilapsus es, ut tui te pu-  
 det, & inter arbores te à Deo abscondere existima-  
 sti, quasi hac ratione peccatum tuum à Deo tegere  
 posses?

Hic Adam respondet & fatetur aliqua ex  
 parte suam miseriam, et sentire se iram Dei contra  
 peccatum, Ideo q; fugere conspectum, & colloqui-  
 um sui conditoris, quod nudus esset, & nihil ha-  
 beret quo se & suum peccatum à facie irae Dei tege-  
 ret, Domine inquit uocem tuam audiui, & timui, eo  
 quod nudus essem. q. d. Ita propter conscientiam  
 peccati & quod scirem te uelle mecum loqui ut de

illo expostulares, & obiurgares audita tua uoce ita  
perterrefactus, & consternatus sum eo quod nudus  
essem & exutus ac spoliatus à diabolo illa tua iusti-  
cia, & sapientia, ac dignitate quibus me ornasti ut  
ad conspectum & colloquium tuæ diuinæ maiesta-  
tis non metuerem procedere, nec quicquam inuenio  
quod peccato meo, meæ stultæ, & insanæ ambitioni  
diuinitatis tuæ quem sciebam me ad suam imagi-  
nem condidisse extulisseq; super uniuersam crea-  
turam ut te propter tanta beneficia colerem & præ-  
dicarem ad omnem posteritatem prætexam, aut quo  
illud à conspectu iræ tuæ tegam. Hei beati quorum  
remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta peccata.  
Hei me miserum qui nudus sum, & qui nihil habe-  
am quo me, & peccatum meum à conspectu iræ &  
furoris Dei tegam, sentio enim hanc seuientem in  
animo meo, in carne & ossibus ut planè illa confici-  
ar & redigar in cineres iuxta diuinam commina-  
tionem.

Hic filius Dei rursus interpellat hominem,  
ut doceat hunc sensum suæ miseriæ, & iræ Dei, ui-  
am esse ad agnitionem, & confessionem peccati,  
Ideoq; hominem sibi relinqui, ut suam miseriam  
agnoscat, & iram Dei sentiat, ut discat unde sint  
illæ, & quæ eorum causa, peccatum scilicet, quo  
agnito illud confiteatur, & deprecetur iram Dei.  
Quis inquit tibi indicauit quod nudus esses, nisi  
quid de arbore de qua præceperam tibi ne comedere  
comedisti, id est, debes agnoscere hanc tuam nu-  
dita

ditatem & propriæ miseriæ, ac iræ Dei sensum esse à peccato, Et te per hæc urgeri ad confessionem ac deprecationem peccati.

Sed tanta fuit efficacia ueneni serpentis in corrupta natura, Ita suum ingenium & suæ mentis superbiam diabolus homini impressit, ut quamuis se nudum fatetur, & sentire iram pro peccato, tamen illud non agnoscit, nec deprecatur iram, sed culpam in Deum reiecit, quasi ab ipso per mulierem ad tantam insaniam, & miseriam fuisset prolapsus, mulier inquit quam dedisti mihi, tulit de arbore, & dedit mihi & comedi.

Hic filius Dei pro tanta superbia infligit commeritas pœnas, ut Adam ex his disceret illud priusquam humiliarer ego deliqui, propterea mandata custodiam, bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.

Deinde quia Adam culpam in mulierem sibi à Deo donatam sociam uitæ, & propagationis generis humani transtulit, pollicetur nascituram aliquando mulierem cuius filius caput serpentis conteret & se fide & expectatione illius posse, & debere tegere suam nuditatem, & statuere quod ille agnus Dei ferat peccata mundi, & Deum propter eum remittere iniquitates, quoties igitur sua nuditas, miseria, ac sensus iræ eum sollicitant ut à Deo fugiat, & se inter arbores eb eo abscondat, toties eum immolatione agni debere peccata sua tegere, & hunc inter Deum, & suum peccatum interponere.

Ita Deus, Dei filius fundamentum & caput Ec-  
clesiæ in primo homine omnes posteros docere uo-  
luit, qualiter confitendum sit peccatum, & quare  
nostram nuditatem debeamus tegere à conspectu  
iræ Dei.

Hanc doctrinam de confessione rursus illustri  
exemplo, & quasi in speculo conspiciendum propo-  
suit per Prophetam, & Regem summum in populo  
Dei Dauidem. Beatus inquit ille cui dominus non  
imputauit peccatum, & in cuius spiritu non est do-  
lus, id est, qui non dissimulat peccatum cum à Deo  
obiurgatur, idq; probat suo exemplo, & docet se  
suo malo didicisse hunc miserrimum esse qui dissi-  
mulat peccatum & non confitetur Deo, sed putat se  
patientia poenarum inflictarum, & querendo ac  
mugiendo de miseria posse tegere peccatum, &  
iram Dei placare. quoniam inquit tacui, contabu-  
erunt ossa mea, dum mugirem quotidie, Die ac no-  
cte grauis facta est super me manus tua, & succus  
meus conuersus est in feruoribus æstatis sed postquã  
peccatum meum notum tibi feci, & iniustitiam me-  
am non abscondi, posteaquam constitui sem fateri  
contra me præuaricationem meam domino, conti-  
nuo tu remisisti iniquitatem peccati mei.

Psal. si tradit formam integræ confessionis &  
docet quomodo debeamus confiteri non tantum pec-  
cata actualia, & passionem peccatorum, ac fructus  
carnis, sed etiam morbum originis, & corruptio-  
nem nature totius omniumq; uirium animæ, & cor-  
poris.

poris. Tibi inquit tantum peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris, hæc est plenior peccati confessio, quam ut enumeratione quantumcunq; accurata & diligenti, exquisitaq; omnium ab ineunte ætate, & prima pueritia peccatorum complecti possimus, etiamsi quilibet plures adhuc libros confessionum scribat, quam sunt illi à beato Augustino conscripti.

Necessario igitur integra confessio Deo facienda est de omnibus peccatis, quoties memoriæ occurrunt.

Deinde illa etiam confessio quæ fit fratribus quos offendimus, & quibus nocere constituimus, ideo dominus qui Adamum adegit ad confessionem facti, & consummati iam opere peccati, uolens auertere Cain ab insania & præuerrere flagitium expostulat cum eo, & quærit cur irasceris, & quare concidit uultus tuus? Iubet igitur filius Dei eum deponere iram & odium aduersus fratrem, & redire cum eo in gratiam, ac deprecari peccatum. Estq; hæc confessio non tantum damni illati, sed etiam inferendi iuris naturalis, & gentium adeo quod Regi Abimelech Deus minatur, propter acceptam uxorem Abraham, etiamsi ipse eam non attigisset, & coram Deo excuset quod nesciuerit illam esse uxorem Abraham. Etsi autem hanc eius confessionem Deus approbat, tamen iubet ueniam postulare ab Abraham & petere, ut pro ipso oret ut uiuat, Ego inquit noui quod in integritate cordis hoc feceris, ideo  
que

que prohibui te ne peccares contra me, nec permisi  
ut eam attingeres, Nunc igitur restitue uiro uxore=  
rem, est enim Propheta, is pro te orabit, ut saluus sis  
& uiuas, quod si non restitueris hoc scito certissime  
te moriturum.

Mandato igitur Dei reddit uxorem, dat mille  
argenteos pro peccato, dat ei oues, boues, seruos,  
& ancillas, Et orante Propeta sanantur uxores, &  
ancilla regis a sterilitate

Hanc confessionem quae fit fratri, filius Dei in=  
stitutam in lege naturae & promulgatam per Moy=  
sen ueniens in mundum in assumpta humana natura,  
& docens Euangelium confirmat dicens, si munus  
tuum offers ad altare & isthic recordatus fueris,  
quod frater tuus habet aliquid aduersus te, uade pri=  
us reconciliare fratri tuo &c. Hanc confessionem  
Iacobus praecipit dicens, Confitemini alterutrū pec=  
cata uestra, & orate pro inuicem ut seruemini, ac  
apparet Apostolum respexisse ad primam instituti=  
onem & uerba filij Dei ad Abimelech, Is pro te ora=  
bit ut saluus sis & uiuas.

Tertia est confessio diuinitus etiam instituta,  
qua populus palam & sacerdos nomine populi con=  
fitemur peccata, ut Aaron iubetur confiteri omnes  
iniquitates populi, Leuitici 16, Et Iudaei conuenie=  
bant in ieiunio, confitentes peccata sua Nehemiae 9.

Hunc morem acceptum ex Moysse, imitati sunt  
illi qui ueniebant ad Baptismum Iohannis, & bap=

tis=  
baptis=

baptismo, quia Euangelistæ clare testantur baptizatos ab ipso confessos fuisse peccata sua, baptizabantur inquit ab eo in Iordane confitentes peccata sua. Et Iudæi audita prædicatione Apostolorum in die Pentecostes quærunt, an hæc confessio eis sit facienda, an aliud præterea agendum, his respondet Petrus, ueterem confessionis morem non mutari in Euangelio, ac ne quidem cæremoniam baptismi, sed eos statuere debere, illum Christum quem eorum principes crucifixissent hunc esse, quem Iohannes cum baptizaret docuit esse uenturum, & iussit ut baptizati suum in eum fiduciam collocarent & starent propter Iesum peccata sibi remitti à Deo, pœnitentiam inquit agite, & baptizetur unusquisquis uestrum in nomine Iesu in remiss. pecc. &c.

Hanc confessionem catechumenorum, retinuerunt sancti patres, ut testantur Tertulianus, & Augustinus quorum uerba supra citauimus.

Quarta est confessio etiam instituta à Deo de peccatis manifestis quibus merentur homines arceri à coetu Ecclesiastico, dum sit sacrum donec reconcilientur Ecclesiæ, Et de hac confessione magna pars legum in Leuitico de sacrificijs traditur, Hæc confessio confirmata fuit sublata tamen cæremonia sacrificij, postquam Christus obtulisset se Deo & ab ipso nonoihil mutata Math. 18. si peccauerit in te frater tuus uade & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, id est, confessus fuerit peccatum & promiserit emendationem, lucratus es animam

nam

nam fratris tui, si non audierit, adhibe unum aut  
duos testes, ut in ore duorum, aut trium testium, stet  
omne uerbum, quod si eos non audierit dic Eccle=  
siae, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut eth=  
nicus & publicanus, Et de excommunicationis, atq;  
reconciliationis approbatione à Deo, addit claras  
promissiones iuramento confirmatas diuino, Amen  
dico uobis quaecunq; ligaueritis super terram erunt  
ligata in caelis, & quaecunq; solueritis in terra so=  
luta erunt in caelis.

Vtriusq; autem, id est, excommunicationis & re=  
conciliationis formam habemus traditam à Paulo  
in priori ad Corinthios c. 5. & in posteriore 2. & 7.  
capitibus, Fuitq; hæc forma confessionis coram tota  
Ecclesia, obseruata post tempora Apostolorum usq;  
dum Nouatiani defecissent ab Ecclesia. Tum enim  
Episcopi iuebant lapsos à fide confiteri uni ex sa=  
cerdotibus propterea quod Nouatiani execraban=  
tur eos, quos intellexerunt confessos fuisse quod à  
fide defecissent ut ante ex Socrate, Sozomeno &  
Nicephoro commemorauimus.

De his quatuor formis confessionum nihil du=  
bium est quin à Deo institutæ sint nec de illis ulla  
est quæstio, Neq; enim nunc disputatur utrum con=  
fessio sit facienda Deo, aut sacerdoti, una ab omni=  
bus, aut à singulis seorsum propter absolutionem,  
explorationem rudium, & eorum institutionem,  
aut propter petendum consilium. Sed hæc est quæ=  
stio

Vtrum



*Vtrum enumeratio sit necessaria ad consequendam remissionem peccatorum.*

Hæc quæstio primum disputari cœpit à Canonistis & sententiarijs postquam Innocentius tertius legem tulit, Omnis utriusq; sexus &c. Cum ante Ecclesia fuisset contenta illis formulis institutis ab Apostolis & Episcopis in primitiua Ecclesia.

Supra autem ex Epistolis Pauli monstratum est, uiuentibus Apostolis pœnitentes confessos fuisse coram tota Ecclesia, & hanc formam obseruatam usq; ad persecutionem motam sub Decio Imperatore, tunc enim forma publicæ confessionis mutata fuit in auricularem, Et illa postea abrogata à Nectario Constantinopolitano Episcopo, sicut disertè & copiosè exponit Sozomenus Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. c. 26. sed tamen Romæ, & in occidente forma publicæ pœnitentiæ obseruata fuit tempore Hieronymi sicut ipse testatur exponens confessionem fabiolæ, & Carolus Magnus, Ludouicus, & Lotharius commendant Sacerdotibus canones pœnitentiales, quos Beda præbyter tribuit Theodoro, qui tempore Dagoberti Regis à Vittelliano Papa missus est in Angliam, & factus Archiepiscopus Canthariensis.

Longobardus conciones Chrysostomi in quibus liberum facit populo soli Deo confiteri, conatur concordare cum confessione priuata, sed reclamante publica consuetudine in tota Græcia.

Et stulte interpretatur uerba Ambrosii non inuenio

uenio quod potius dixerit, inuenio quod fleuerit dicens multa esse facta quæ non sunt scripta, sed addit correctionem nondum fuisse institutam confessionem.

Pauormitanus in c. omnes utriusq; sexus de pœnitentijs & R. libro 5. reiectis sententiariorum sententijs, De hac questione an confessio auricularis sit iuris diuini, an humani dicit sibi uehementer placere dictum glossæ de pœnitentia d. 5. confessionem auricularem institutam fuisse ex quadam generali traditione Ecclesiæ. Et Græcos qui soli Deo confitentur non peccare, quia hæc constitutio apud eos non emanauit, sicut diximus in simili de coelibatu Sacerdotum. Nam non peccarunt eorum Sacerdotes, uetendo matrimonio, quia coelibatus est iuris positiuus, & ipsi non admiserunt illam constitutionem, ut in c. Nicena 31. d. Et c. olim de clericis coniugatis.

Venerabilis Beda exponens uerba Christi, Ite ostendite uos Sacerdotibus ait, cætera uitia (præter hæresin gentilem, superstitionem iudaicam, perfidiam, & schisma fraternum) tanq̃ ualetudines, & quasi membrorum animæ, atq; sensuum per seipsum intus in conscientia, Dominus sanat, & corrigit sine confessione. Cum autem sententiarij fateantur Sacerdotem absolueri confitentem à peccatis oblitis, & eos etiam qui ex morbo, aut uulnere amiserunt officium linguæ, manifestum est, Ruardum nugari, cum contendit enumerationem esse necessariam, Ideo quod Sacerdos sit iudex, & non potest sine cognitione causæ pronunciare.

In.

In declaratione alterius partis articuli. Ruar-  
dus accusat Lutherum, quod dicat, omnes quidem  
Christianos, in absentia sacerdotis, & articulo ne-  
cessitatis, habere potestatem absoluendi, quamuis  
executio potestatis tantum sit penes eos, qui ex po-  
puli electione, & magistratus commissione uocan-  
tur ad ministerium. Deinde uociferatur Luthera-  
nos, non habere sacerdotes aut diaconos, sed tan-  
tum Laicos, qui neq; consecrare, neq; baptizare  
possunt, neq; absoluere poenitentes. Id conatur pro-  
bare ex dictis Hieronymi, Augustini & aliorum pa-  
trum, deinde ex concilijs generalibus. Sic etiam ar-  
gumentatur, Omnes Christiani habent potestatem  
absoluendi. Ergo Apostoli habuerunt, priusquam  
audirent a Christo, Accipite Spiritum sanctum, quo-  
rum remisero peccata &c. Hoc si concedatur,  
querit deinde, Quomodo Christus per haec uerba  
tradidit Apostolis absoluendi potestatem, quomodo  
ipsi hanc acceperunt? ut quid cum tanta solenni-  
tate, promissa insufflatione, & Spiritus sancti do-  
natione, eos specialiter hoc munere donauerit, quod  
erat omnibus fidelibus commune, & quod ipsi iam  
dudum acceperant? Sed forsitan inquit respondebis,  
Non tam ipsis, quam toti ecclesiae in ipsis donatam  
hanc potestatem, quemadmodum de clauibus regni  
coelorum Petro collatis, pluribus locis uidetur sen-  
tire Augustinus, Sed hoc inquit commentum, aduer-  
satur omnium patrum interpretationi, Responden-  
dum igitur est ad dictum Augustini, clauis esse da-

f

tas

tas ecclesie in Petro, & in suis successoribus, non ad propriam ipsorum utilitatem duntaxat, quemadmodum sacerdotium, & regnum datum erat populo Israëlitico. Ita ut appellaretur Regale sacerdotium, inde tamen non sequitur, quemlibet e populo fuisse regem aut sacerdotem, sed duntaxat ex una tribu Leui. &c. Quid ais Ruarde? Adeone impudens es, ut interpretationem Augustini manifestis scripturis confirmatam & receptam à tota ecclesia audes uocare commentum & maiori adhuc peruicacia confirmare, clauas collatas esse ecclesie tantum per Petrum & suos successores, & maxima demum pertinacia contendere, Non omnes Christianos factos esse per Christum reges & sacerdotes, Deo, & patri, sed tantum unctos & rasos ab Episcopis. Augustinus ne solus hoc affirmat, clauas & potestatem ligandi & soluendi traditas fuisse ecclesie? An ad solum Petrum & suos successores dictum est, Quaecumq; ligaueritis super terram, erunt & ligata in coelis? Item, quorum remiseritis peccata remittuntur eis? An Apostoli hanc potestatem acceperunt à Petro? an ad solos rasos & unctos pertinet beneficium Christi, de quo in apoc. c. i. dicitur, Qui dilexit nos, & lauit nos, à peccatis nostris, in sanguine suo, & fecit nos reges, & sacerdotes Deo, & patri suo? O inauditam impudentiam & pertinaciam, quæ beneficium redemptionis, restringit ad paucos aliquot ordinatos, ab Episcopis, et ex sacerdotio Christiano facit Leuiticum, & ex regno Christi spirituali mundanum.

danum.

danū. Sic metuit monarchiæ pontificis, & regiæ do-  
minationi sacerdotū, quasi uero sequeretur. Omnes  
Christiani sunt reges, & sacerdotes Deo & patri,  
& habent potestatem offerendi spirituales hostias,  
acceptas Deo per Iesum Christum. Igitur omnes  
sunt ministri Ecclesiæ & debent ministrare Sacra-  
menta. Sed non rixabor cum homine, qui frontem  
perfricuit & mentiri non erubescit: tantum in gra-  
tiam lectoris respondebo, ad illa, quæ ex patribus  
produxit, Hieronymus in dialogo inter Luciferianū  
qui negabat Episcopos lapsos in hæresin Arrianam  
recipiendos in Ecclesiam & orthodoxum qui diuer-  
sam tuetur sententiam sic scribit. Hilarius Condiaco-  
nus de Ecclesia recessit solus, quæ ut putat turba sit  
mundi, neq; eucharistiam conficere potest, Episco-  
pos, & presbyteros non habens, neq; baptisma sine  
Eucharistia &c. Respondeo, Hæc ita à Hieronymo  
dicta esse sicut illa quæ præcedunt disputatiue sci-  
licet, & non definitiue. Nouam, inquit, rem asse-  
ris, ut Christianus quisquam factus sit, ab eo qui non  
fuit Christianus, accedens Arianos, in qua fide ba-  
ptizatus est? Nempe in ea quam habebant Ariani,  
Præterea cum solennè sit in lauacro post Trinitatis  
confessionem interrogare. Credis in sanctam Eccle-  
siam, in quam Ecclesiam credidisse eum dicis? in  
Arianorum. Sed non habent. His & multis alijs ar-  
gumentis, & autoritate Cypriani probat baptiza-  
tos ab hæreticis, non uerè baptizatos esse. Sed in  
fine dialogi planè diuersum concludit. Conatus est

f 2

inquit,

inquit, Beatus Cyprianus contritos lacus fugere,  
nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæreticorum  
baptisma reprobans, et scribens ad Stephanum tunc  
Romanæ urbis Episcopum, qui à beato Petro uice=  
simus sextus fuit, super hac re Aphricanam Syno=  
dum indixit, Sed conatus eius frustra fuit. Deniq;  
ipsi Episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo  
statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti no=  
uum decretum emisserunt.

Cum igitur Hieronymus affirmet, baptizatos  
ab Hæreticis uerè baptizatos esse, etiamsi apud hæ=  
reticos non sit ecclesia, multò magis baptizati à La=  
icis, qui non sunt hæretici, uerè erunt baptizati,  
etiamsi inter eos nullus sit presbyter, sed tantum  
Laici. Nam sublatis sacerdotibus, sicut olim in Ec=  
clesia primitiua interficiebantur à Tyrannis, uel ali=  
oqui naturali morte sublatis, non desinit ecclesia in=  
ter Laicos, ut Christus & Apostoli de ecclesia locuti  
sunt. Et quod Hieronymus disputat, Ecclesia non  
est, quæ non habeat sacerdotem, Canonum more lo=  
quitur, non scripturæ, sicut ex ipsius uerbis, quæ  
mox sequuntur intelligi potest: Nam cõtinuo sequi=  
tur. Sed omiſſis paucis hominibus, qui ipsi Laici sunt  
& Episcopi &c. Sed hoc posito, & non concesso,  
quod non laquatur de Sacerdotibus ordinatis ab  
Episcopis: tamen nihil facit contra Lutheranos,  
nam mendacium manifestum est, inter Luthera=  
nos nullos esse Sacerdotes ordinatos ab Epi=  
scopis. Immò Lutherus ipse fuit rasus & un=  
ctus &

Atus, & multos ordinavit. Hieronymus autem fate-  
tur, eundem olim fuisse presbyterum et Episcopum.  
Deinde sequuntur eius doctrinam multi, qui sunt  
ab Episcopis ordinati, Imò multi Episcopi hanc am-  
plexi sunt, inter quos octo Episcopi canonice con-  
secrati, in Anglia recens sunt concremati, & ho-  
rum postremus fuit Archiepiscopus Cantriariensis,  
ut taceam de Archiepiscopo Coloniense, qui pro ea-  
dem doctrina depositus est. Et de principe Georgio  
præposito Magdeburgense, & administratore Epi-  
scopatus Marsburgensis, Et Petro & Paulo Vergerio  
in ipsa Italia iussu Romani p̄tificis ordinato, ab E-  
piscopis. Sed dicet me respondere per instantiam,  
& non directè ad quæstionem. Vtrum illi qui non  
sint ordinati ab Episcopis & presbyteris habent po-  
testatem administrandi sacramenta. Ad solos inquit  
Episcopos & presbyteros pertinet impositio ma-  
nuum iuxta doctrinam Pauli. Et in Lutheranorum  
Ecclesiis non observatur forma verborum, quibus  
datur potestas clauium & consecrandi corpus, &  
sanguinem Domini. Item transultim ordinari  
Lutheranis ministros non observatis gradibus  
ordinum. Et ad hæc omnia recessisse ab ordinaria  
potestate, & non esse in vera Ecclesia. Respondeo,  
Etsi de his in 17. articulo erit dicendum copiosius,  
tamen nunc etiam breuiter & simpliciter ad hæc re-  
spondebitur, quantum opus est. Vtinam autem res  
serio ageretur, & de ordinatione, uel ex scriptura  
Apostolica, uel ueteribus canonibus iudicaretur.

Nunc hi qui neq; iuxta doctrinam Pauli, neq; iuxta  
canones ordinati sunt & titulo tenus sunt Episco=  
pi, contendunt de potestate Ecclesiastica. Notum est  
præceptum. Nemo sibi sumat honorem, sed qui uo=  
catur à Deo tanquam Aaron, & Paulum requirere,  
ut ordinandi habeant testimonium Ecclesiæ. Deinde  
canones tribuere ius uocationis, uel presentationis,  
non tam clericis, quam populo. Officium uero Epi=  
scopi clarè à Paulo describitur, ad Timotheum &  
ad Titum, isthic enim requirit in Episcopo, ut aptus  
sit ad docendum, & in ultima sua contione ad Ec=  
clesiam diserte docet de officio Episcopi Actor.  
20. Cauete inquit uobis, & uniuerso gregi, in quo  
Spiritus sanctus, uos posuit Episcopos, ut regatis  
Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ve=  
teres canones iubent dici ordinando, uade prædica  
Euangelium populo tibi commisso. Nunc uero, ne=  
que canones Apostolorum, neq; Episcoporum ser=  
uantur in electione uel ordinatione, & illi ipsi qui=  
bus officium Episcopi impositum est, exercent domi=  
nationem, commissa potestate ordinandi suffra=  
ganeis, qui ad nullam certam ecclesiam docendam  
sunt uocati. Neq; nunc ordinantur ministri ut doce=  
ant Euangelium, & ministrent sacramenta, iuxta  
institutionem Christi, sed ut celebrent Missas pro  
uiuuis & mortuis, & distribuant populo tantum al=  
teram partem sacramenti, subtracto calice, contra  
Christi institutionem. ij igitur si Deus uolet tantum  
dicentur sacerdotes, qui hoc modo sunt ordinati ab  
illis,



illis, qui reuera non sunt Episcopi, etiam iuxta ca-  
nones, quia non habent legitimum uocationem, ad  
docendam certam ecclesiam. Et contra illi qui iuxta  
Apostolorum & sanctorum patrum doctrinam sunt  
ordinati, habent legitimum uocationem, sunt pro-  
bati, uel examinati, ac per impositionem manuum  
orante uniuerso populo confirmati, & quibus man-  
datum est docere Euangelium & administrare sa-  
cramenta non erunt uerè ordinati? Neq; ideo hæc  
à me dicuntur, quod uelim quicquam detractum  
esse ordinariæ potestati, aut clerum confundere cum  
Laicis, aut damnare eorum ceremonias in ordinati-  
one, quæ non pugnant cum manifesto uerbo Dei.  
Imò cuperem lutheranos ab illis iuxta institutionem  
Apostolicam, & ueteres canones ordinari, sed ipsi  
ordinationem Apostolicam inuertunt, & illa abo-  
lita, substituunt suas traditiones pugnantibus cum ma-  
nifesto uerbo Dei, & ueteribus canonibus. Neq; enim  
inquirunt de ordinandis, aut de uera doctrina, Neq;  
quenquam qui hanc profitetur, uel ad hanc docen-  
dam uocatur, admittunt ad ordinationem, imò co-  
gunt ut hanc tanquam hæresin abiuret, & adigunt  
ad uouendum cœlibatum & ministerium doctrinæ  
transtulerunt ad celebrationem Missarum. Episco-  
pis igitur imputandum est, quod non ordinentur ab  
ipsis ministri, qui profitentur ueram doctrinam Eu-  
angelij, quandoquidem agnitam ueritatem abnega-  
re non possunt, nec contra conscientiam iurare,  
quod uelint defendere impia dogmata, & seruare

coelibatum, nec aspergere se cruore piorum, qui ab  
ipsis crudelissimè ferro & igni trucidantur? Neq;  
quisquam pius offendetur, quod ecclesia iure postli-  
minij citra cōsensum ordinariæ potestatis, uocet mi-  
nistros Euangelij, sicut inde ab initio semper factum  
fuit, cum unus et alter propheta et uerus scripturæ  
interpret, se opponeret impiæ multitudini, pontifici-  
bus & senioribus, apud quos erat, ordinaria pote-  
stas, ut Elias quaeritur se relictum solum, qui non  
curuauerit genua ante Baal, & tamē substituit loco  
suo Elisæum, qui proprios habebat conuentus & di-  
scipulos, qui cōtradicebant ordinariæ potestati. Sic  
Esaïas, Hieremias, Amos & alij prophetae, Deinde  
Ioannes Baptista nouum ministerium instituit, &  
defendit suam doctrinam & officium contra pon-  
tifices, qui ex Hierusalem miserunt ad eum Sacer-  
dotes & Leuitas, ut cum eo expostularent, qua au-  
toritate hæc faceret, Et Christus facto Ioannis se de-  
fendit, contra scribas & pharisæos, quærentes qua  
potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potesta-  
tem? Sic enim respondit, Interrogabo & ego uos,  
Ioānis baptisma unde erat, è cœlo an ex hominib.?  
Si dixeritis mihi & ego dicam uobis, qua potestate  
hæc facio, Significans se semper adesse Ecclesiæ, &  
subinde excitare ueros doctores, qui se opponunt  
impiæ multitudini, quia usurpat titulum & autori-  
tatem Ecclesiæ. Deinde Paulus ait Christum ascen-  
disse in altum, ut daret Ecclesiæ doctores & pasto-  
ret, ostendens ministerium Euangelij non esse alli-  
gatum

gatum ad ordinariam potestatem. Et Petrus in Act.  
cap. 4. principibus sacerdotum iubentibus, ne Apo-  
stoli docerent populum, respondit, Si iustum est co-  
ram Deo uos potius audire quam ipsum, iudicate  
uos ipsi. Et actorum 13. scriptum est, Quod Prophe-  
tis & doctoribus in ecclesia Antiochena ministran-  
tibus domino, & ieiuantibus dixerit Spiritus san-  
ctus, segregate mihi Paulum & Barnabam, ad opus  
ad quod uocaui eos. Ex quo manifestum est Spiri-  
tum sanctum per se uocare ministros noui testamen-  
ti, & adesse precibus piorum petentium ab eo dari  
bonos doctores. Ex his intelligi potest Quid respon-  
dendum sit ad quaestionem, Vtrum illi qui non sunt  
ordinati ab Episcopis, habeant potestatem admini-  
strandi sacramenta, Cum enim Christus propterea  
ascenderit in altum, ut daret doctores & pastores  
ad opus ministerij, & ad aedificationem ecclesiae, ut di-  
ctum est, & ipse clarè pollicetur se affuturum Ec-  
clesiae usq; ad consumationem saeculi, nihil dubium  
quin nunc quoq; det aliquos qui sunt idonei ad do-  
cendum, quin habeat ecclesia potestatem hos recipi-  
endi, nihil obstante, quod Episcopi ordinaria pote-  
state abutantur, & ex mera tyrannide prohibeant,  
ne eiusmodi admittantur ad ministerium, sicut pro-  
phetarum & apostolorum temporibus uerè pij eli-  
gebant ministros, & per impositionem manuum or-  
dinarunt, etiamsi illi apud quos erat ordinaria po-  
testas hanc ordinationem pro nihilo ducerent, Sed  
tota quaestio oritur ex pharisaica opinione, quae al-

f s

ligat

ligat Ecclesiam & eius auctoritatem ad certas personas, certa loca, titulos & ordinariam potestatem, ut suo loco dicetur in articulo de Ecclesia. Vt autem res tota clarius conspiciatur, simpliciter hanc proponam.

## SIMPLEX FORMA

DOCTRINAE DE SACERDOTIO,

& ministerio inde ab ori-

gine mundi.

**F**ilius Dei, fundator, & caput Ecclesiae, fundamentum & lapis angularis ipsius atq; summus pontifex noster ministerium doctrinae, & sacerdotium, ac ritus sacrificandi instituit in paradiso, & conseruabit opus ministerij in aedificationem corporis sui, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & ueram agnitionem ipsius ut ad Ephes. 4. dicitur.

Ipsa fuit primus Doctor, Propheta, & Sacerdos, ac in paradiso docuit primos homines de poenitentia, & remiss. pec. in nomine suo, Ipse instituit coniugium & coniunxit prothoparentes nostros Adam & Euam, Et ministerium docendi sacrificandi, & orandi commendauit Adamo.

Neq; enim cogitandum est, illum aut alios homines obtulisse sacrificia placentia Deo sine mandato suo, cum filius Dei dicat ad Leuitas quod frustra se colant mandatis & doctrina hominum: sed certo constitendum est, Adamum diuinitus & a filio Dei consti-

consti-

constitutum esse sacerdotem, & ordinatum, & postea ex mandato ipsius ordinasse Abel, Seth, & hunc postea Enos, ac sic deinceps usq; ad Noe qui ordinavit Sem, et ille postea Abraham, cui successit Isaac, & huic Iacob, cuius filio Leui commendatum est sacerdotium, Cum enim Ruben propter incestum depositus esset, ab officio a parente. duo primogeniti honores, regnum & sacerdotium alijs duobus filijs domino dictante diuisi sunt Gene. 49.

Isthic Iudas rex constituitur Iacobo uaticinante, Non auferetur sceptrum de Iuda & c. Leui autem sacerdos, & caput synagogæ designatus in prophetia, Iacobi dicentis Simeon & Leui fratres, uiolenta arma, gladij eorum. In synagogam eorum non ueniat anima mea.

Quamuis autem de ceremonijs ordinationis sacerdotum ante legem, Moyses non meminit, tamen nihil dubium est, impositionem manuum acceptam a primis patriarchis, & Adamum ordinasse Abel, & Seth sicut Isaac ordinavit Iacobum, hoc est per impositionem manuum.

Ordinariu ministerium fuit apud primogenitum, uel seniore, uel πρεσβύτερον inde enim nomen τῶ πρεσβυτέρου καὶ πρεσβυτέρου in nouo testamento. Et apud Paulum pro ministerio, & dignitate sacerdotali habemus: Sed tamen cum primogeniti essent impij, delatum est sacerdotium iunioribus, ut Abel, & Iacob, & Leui.

Huius sacerdotium aliud fuisse a sacerdotio Melchi-

Melchi-

Melchizedech docet epistola ad Hebræos, quia illud tantum in una gente, ad unam tribum pertinebat, hoc uero ad omnes gentes, tribus, & populos, & familias, Nam ante Leuiticum sacerdotium quilibet pater in sua familia pastor, & doctor, & presbyter erat, Et seniori ex filijs ministerium una cum gubernatione familie, & fratrum commendauit, Et multarum familiarum aui, pro aui, & ab aui dicebantur  $\pi\tau\epsilon\rho\sigma\ \epsilon\upsilon\ \tau\acute{\epsilon}\gamma\omicron\iota$ , ideoq; Paulus contendit Christum & suum sacerdotium non fuisse secundum ordinem, & ordinationem Leui, & externis cæremonijs, sed secundum ordinem Melchizedech, & omnes à Christo redemptos, & in eum credentes dono Sancti spiritus per baptismum & manuum impositionem consecrari, & constitui reges, & sacerdotes, quibus debeat regnum Dei, et hereditas uitæ æternæ sicut regnum debebatur, Melchizedech & alijs primogenitis, & habere ius & potestatem offerendi spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum ut Petrus ait, hoc est, fructum labiorum confitentium nomine suo interprete Paulo.

Sed qui relicta scriptura sequuntur humanas constitutiones confundunt sacerdotium Christianum, cum Leuitico & diuersis gradibus ministerij. Hæc est Prophetarum, pastorum, & Doctorum quos Paulus disertè & perspicuè discernit à sacerdotio omnibus Christianis communi, ad Rom. 12, & 1 Corinthiorum 12, & ad Ephesios 4. & 1 ad Timotheum 3. & Titum 1. habentes dona iuxta gratiam nobis

nobis datam uaria, siue Prophetiam iuxta mensuram fidei, siue ministerium in administrando, Item primò dedit Apostolos, deinde Prophetas, Tertio doctores &c. Item ascendens in altum dona dedit hominibus, & alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios autem pastores, & doctores.

Pastoris igitur, & doctoris, uel presbyteri, & Episcopi  $\chi\rho\rho\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$  specialia dona sunt spiritus sancti pertinentia ad diuersos gradus ministerij distincti à sacerdotio Christiano, quod omnibus pijs est commune.

Omnes siquidem Christiani sunt sacerdotes, & iubentur offerre hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum, sed non omnes sunt ministri sicut Paulus loquitur de ministerio, cum ait, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Duplex autem est uocatio ad ministerium, una quæ fit immediatè à Deo ut Prophetæ, & Apostoli gloriantur se diuinitus uocatos esse ad ministerium. Alia quæ fit ab Ecclesia.

Et quidem de ministris ordinandis per impositionem manuum à presbyteris, id est, senioribus in Ecclesia, extant clara præcepta Pauli ad Timotheum, & Titum.

Et de perpetua successione Episcoporum rectè docentium in Ecclesia, & quatuor illis prioribus Hierosolimitana Alexandrina Antiochena ac Romana historia extat Ecclesiastica diligenter conscripta  
ab Eu=

ab Eusebio, Socrate, Sozomeno, Theodoro, Niphoro & alijs, quæ in omnium manibus uersatur.

Quamuis autem Ireneus Tertulianus, Cyprianus, Hieronimus, & alij cum disputant contra hæreticos, multum tribuant successioni Episcoporum in Ecclesia Romana, tamen Ireneus reprehendit uictorem, & Cyprianus colligit synodum contra Romanam, & Episcopi Asiae, & inter hos Basilius, negant ius confirmationis Episcoporum pertinere ad Romanum pontificem. Et Canones fatentur, eum propter hæresin posse deponi, & necesse est fateri discedendum ab ordinaria potestate, cum aliquid mandat contra uerbum Dei, iuxta illud quod Petrus ait, principibus sacerdotum iubentibus ne Apostoli docerent Euangelium, Vtrum uobis, an Deo magis obediendum sit uosipsi iudicate?


Cum igitur Episcopi nunc nullum ordinare uolunt, nisi qui impiam doctrinam profiteatur & uoueat coelibatum, & ordinent suos non ad docendum Euangelium, sed ad celebrandas missas pro uiuis & mortuis, contra institutionem Christi, & morem obseruatum ab Apostolis, & Episcopis in primitiua Ecclesia, & contra ueteres canones. Toto pectore agamus gratias filio Dei sedenti ad dextram patris qui hoc nostro tempore dedit presbyteros & doctores qui repurgarunt Euangelij doctrinam ab impijs dogmatibus & restituerunt uerum usum Sacramentorum iuxta institutionem Christi, nec sinamus nos commoueri terriculamentis diaboli uociferantis



ferantis, nostros ministros non habere potestatem  
baptizandi, aut consecrandi, cum habeamus ex=  
pressum mandatum Dei, Discedite ab eo populus  
meus quod nobis ad consolationem à Moysè atq;  
Esaia, Hieremia, ac Paulo est propositum & dulcissi=  
mam consolationem ab ijsdem adiectam, Eroq; uo=  
bis in Patrem, & uos eritis mihi in filios & filias  
dicit dominus omnipotens Leuitici 16. Esaia 52.

Hierem. 31. 2. ad Corinthios 6. Et habea=  
mus præterea exempla Patriarcharum  
Prophetarum & Apostolorum atq;  
sanctorum Martyrum, qui se  
opposuerunt ordinariæ  
potestati.

F I N I S.





Th. evang. pol. 9/10

